BRITISH
13 MY 1905
MUSEUM

Hallam
Kings Coll
17

A. D. 814 to 911.

In this century the Eastern Emperors, Michael, Basily, Basilius &c were generally successful agst the Saracens once only being engaged agst the Bulgarians, called by the Turks, in our phrase called the Huns, to their assistance. The Saracens were greatly divided into factions amongst themselves.

In the Western Empire Lewis the Pious succeeded Charlemagne & divided his dominions to his 3 Sons: to Lothair, the Empire, & the South of France; to Lewis, Germany; & to Charles, the rest of France. Lothair quarrelled with his Brothers & was defeated. His Son Lewis succeeded him, & defeated the Saracens in Italy. Charles Lewis the 3d was greatly harassed in Germany by the Hungarians: & on his death the Line of Charlemagne failed in the Imperial throne, wch was how this line should be. R. D. 912. During this whole age the direct Merovingian Line of succession was perplexedly intangled.

In Spain Ramir defended the Saracens, & was succeeded by Ordano, the famous defender of Toledo agst Abderame after him, Alphonso the great, constantly at war with Mahomet, & Abdalla Kings of Cordova: they also Garcias defended agst him & made him retire to Cordova, almost the Moorish General lived now.

In England, Egbert just an end to the Heptarchy. Ethelbald & Ethelred fought with Danes with various success. Ethelred succeeded & founded, or at least restored the University of Oxford.

In the Papacy, were Gregory 4th, Pope Joan, Sergius 2d, Leo 4th, Great Enmity between some of the Popes & Emperors of Constantinople. Mr. Hallam does not know whether Pope Sergius 3d was related to Boniface Duke of Spoleti made a figure in Italy by engaging with the Saracens, & was made K. of Italy by the Emperor

From 912, to 1036.

On the death of Lewis 4th the German Princes offered
ye imperial crown to Otho Duke of Saxony: on his refusal
Conrade Duke of Franconia was chose. There were many
rebellions: he defeated the Hungarians. He was succeeded by
Henry the Son of Otho of Saxony: he defeated the Hungarians
& so commemorate the victory wch he called Tilly & Sopranus
He erected many Marquisates in the empire, wch seem origi-
nally to have little Principality to guard the Empire agst
ye neighbouring Princes. Henry was succeeded by his Son Otho
the great who by force of Arms made himself agst the Hungarians, Bo-
hemians & compelled Hugh Capet the great Duke of Paris,
to release K. Lewis Outremer from his confinement. He was
succeeded by his Son Otho 2d, who got Lorraine from ye French
defeated the Greeks & Saracens: He was succeeded by his
Son Otho 3d, in whose time it is said ye Pope & Emperor
agreed yt ye Emperor shd be chose by 3 Electors. viz. of
Trentz, Cologn, Treves, Palatine, Saxony, Brandenburg &
Bohemia. Otho made ye Duke of Bohemia K. wch stays
yt ye German Emperor can make a K, as he did the
first K of Prussia. He was
In the Eastern empire nothing remarkable except
yt ye Turks began to be powerfull & the Saracens conti-
nually lost ground. The Sangiak or Generall of the
Turks defeated & slew Mahomet Sultan of Babylon
won all Persia & was crowned at Bagdad or Babylon A.D. 1055
In France Hugh Capet Earl of Paris rebelled agst K.
Lothario & K. Ye death of Lothario, the Nobility
set aside his uncle Charles, because the
Emperor Otho had made him Duke of Lorraine, on
condition he held it as Fee of the Empire. Therefore
the French Peers gave ye Crown to Hugh Capet from
whom the present Family of France derive yr Pedigree.
In Spain ye Moors made continual Depredations & Incursions
Spaniards & slew K Sidonius frequently erecting.
In England the Danes renewed yr cruelties & were
very tyrannical, wch made ye English rise one night
& massacre ye Danes, wch made great war between
Ethelred, Edmund Ironside, & Swaine, Canutus 3d of
Denmark after Edm. death, Canutus was crowned
K of England. He left ye Crown to Wm ye Conqueror.
In Scotland, Malcolm made a figure by fighting
agst ye Danes, & encouraging Arts.
In the Papacy, there was great confusion, Murders

9006 G.18

Apud Jos. Pote, Bibliop. Etonens.

COMPENDIUM HISTORIÆ UNIVERSALIS,

AB

INITIO MUNDI

AD TEMPORA

CAROLI MAGNI IMP.

Conscriptum à

JOANNE CLERICO.

Nescire quid ante quàm natus sis acciderit, id est semper esse puerum. Cicero.

Editio Nova, prioribus correctior.

LONDINI,
Impensis JOSEPHI POTE, Bibliopolæ
Etonensis.
M.DCC.XXXV.

JOANNI ET GEORGIO

VAN DEN ENDE

FRATRIBUS GERMANIS,

ABR. FF.

S. P. D.

JOANNES CLERICUS.

CUM *ederetur nuper* Ars *mea* Critica, *non putabam hoc Opuſculum nunc emiſſum iri; quale id, ante duodecim annos, in uſum Studioſorum Adoleſcentum, à me conſcriptum fuerat. Animus enim erat aliquando, ſi otium nanciſci poſſem, id ſtudioſiùs expolire, & perpetuo veluti Commentario illuſtrare, quo & breviùs*

 dicta

dicta paullò pluribus explicarem, & digitum intenderem ad fontes, ex quibus ſingula hauſta ſunt. Ideóque Opuſculum hoc ne indicavi quidem in Critica, *ubi egi de lectione Hiſtoriæ Univerſalis. Sed cùm Bibliopolæ reſciviſſent mihi ejuſmodi Libellum delitescere inter chartas, eum à me petierunt, nec difficulter impetrarunt; quòd apud me reputarem in Oceanum Sacrarum Literarum vela danti, neque ex tam longinqua navigatione brevi redituro, tempus nunquam fortaſſe futurum abſolvendi ejus Operis, prout optaſſem. Præterea intelligebam, ſi quando tamen otium foret, id poſt aliquot annos demum futurum; quo tempore,* Ornatissimi Juvenes, *Vobis ad majora progreſſis uſui amplius eſſe non poſſet; quod cùm vehementer optarem, ejus editionem amplius differendam non exiſtimavi. Certè initio ſtudiorum non ſine fructu evolvuntur hujuſcemodi Libelli, quibus, veluti in brevi tabula, totius humani generis hiſtoria pingitur; antequàm ad accuratiorem ſingularum rerum narrationem legendam deveniamus. Singularia enim facilius intelliguntur, & memoriæ meliùs mandantur; poſtquàm generalia luſtravimus, &*

ſumma

ſumma rerum capita, in theſauro illo omnium diſciplinarum, ordine collocavimus. Quod cùm certiſſimum ſit, mihi tamen affirmanti à Vobis credi nolim, ſed quando ipſi experti fueritis. Jam autem eò uſque in bonarum literarum ſtudiis progreſſi eſtis, ut tempus ſit conjungendæ cum Linguis Hiſtoriæ, & videndi quàm primùm, quantus ſit hujuſmodi Opuſculorum uſus.

Non ampliùs ſtatis, OPTIMI ADOLESCENTES, *in bivio, in quo etiamnum dubitetis de vitæ genere, quod Vobis ſit eligendum; conſtituiſtis dudum, auctore Conſultiſſimo Viro Parente Veſtro, id vitæ iter ingredi, in quo humaniorum literarum, veterúmque adeò hiſtoriarum cognitio, non modò longè maximum eſt ornamentum, ſed & certiſſimum ſubſidium; quo qui carent, ii brevi intelligunt, ſe longinquum iter ſine viatico ingreſſos. Itaque certum Vobis ſit oportet nullum laborem refugere, ut id vobis comparetis, nec ullam nimiam habere conſtantiam; ſi modò ejus operâ eximiarum rerum notitiâ memoriam inſtruatis, & lectione præſtantiſſimorum Scriptorum judicium acuatis.*

Utrumque autem Vobis futurum ſpondeo, ſi, prout cœpiſtis, conſtanter pergatis, & laudabili φιλοτιμίᾳ eo quod aggreſſi eſtis, non perfunctoriè defungi apud Vos ſtatuatis. Pro labore verò, qui initio eſt exantlandus, non modò uberrimos fructus Vobis polliceor, ſed & ſuaviſſimam voluptatem; quam olim ſentietis, cùm ad ſtudiorum metam perveneritis; & ſubinde veſtigia Veſtra, cum jucundiſſima recordatione præteritorum ſtudiorum, relegetis. Domeſticum hujus rei exemplum habetis in Veſtro Parente, qui quicquid temporis ſurripere poteſt perpetuo, quo diſtinetur, labori reſpondendi de jure, id ſuaviſſimè in elegantiorum librorum lectione collocat, nec ullam majorem ſe experiri teſtatur voluptatem.

Macti ergo virtute eſtote, nec Patris Veſtri, cui tamen omnia debetis, aut mei, qui dux itineris atque hortator acceſſi, ſed Veſtri ipſorum cauſâ, lætiſſima Latinorum & Græcorum nemora ingredimini, & eximias magnorum virorum tabulas in æterno Memoriæ Templo appenſas avidis oculis ſpectate. Quam in rem, qui Vos operâ libentiſſimè adjuvi & adjuvabo, vo-

tis

tis nequaquam parco, ut Veſtris cœptis à DEO Opt. Max. felicem eventum impetrem, & Viro præſtantiſſimo Parenti Veſtro, cujus amicitiæ ac comitati plurimum debeo, ſolatium quo ſenectam ſuam olim oblectare poſſit. Audiat verò Deus, quæ vovemus, & Veſtras, noſtraſque curas benignus ſecundet. Valete.

Dabam Amſtelodami, Calendis Novembribus Anni M. DC. XCVII.

LECTO-

LECTORI

S. D.

JOANNES CLERICUS.

NON opus est, LECTOR, à me ostendi, quæ sit utilitas Opusculorum, quibus in pauca contrahitur generis humani historia; ingens enim numerus ejusmodi libellorum, à viris doctis editorum, ex quo præsertim meliores literæ in hoc nostro Occidente sunt renatæ, satis liquidò prodit, quæ fuerit semper Senatûs Literarii hac de re sententia. Duo hæc duntaxat à me postulare jure possis, quare post tot alios doctissimos viros, quorum labores exstabant, aliquid novi moliri maluerim, quàm aliena industria uti; & quænam sit instituti mei ratio, in hoc Opusculo. Paucis verò utrumque expediam.

Obser-

Obſervaveram, nimirum, pleraſque ejuſcemodi Epitomas, aut nimis prolixas eſſe, aut nimis breves; adeò ut alterutrum obſtaret, ne ex earum lectione ſperati fructus colligerentur. Conſcribuntur enim, ut ſæpiùs evolvantur à Studioſis, ac propemodum memoriæ mandentur, quod fieri nequit, ſi ſint prolixiores. Eò etiam ſpectant ejuſmodi Opuſcula, ut tempora potiſſimorum eventuum, qui apud omnes Gentes contigerunt, teneantur, atque earum Chronologiæ inter ſe collatæ animo obverſentur; ita ut quinam æquales apud remotiſſimas à ſe invicem Gentes vixerint, & quæ eadem ætate contigerint, in promptu habeatur. Hoc autem fieri nequit, ſi nimiùm brevia ſint Hiſtoriarum Compendia; qualia ſunt permulta, in quibus Chronologia nimis ſummatim traditur.

Utrumque hoc vitium hîc vitare conati ſumus, & præterea, in hac noſtra Epitome, accuratiſſimum Chronologorum *Dionyſ. Petavium* ſequuti ſumus, uſque ad annum Chriſti DXXXIII. ad quem perduxit ſuos Annales. Non exiſtimamus quidem eum omni peccato carere, in re uſque adeò perplexa ac varia;

varia; & nonnulla etiam hîc notata ſunt; ſed minoribus ſine dubio laborat, quàm ii, qui ante illum ſcripſerunt; nec temerè peccata dicenda, quæ quibuſvis conjecturis, quæ nunc ſunt Chronologorum innumeræ, adverſantur.

Hæc potiſſimùm in Epitomis, quæ antehac editæ ſunt, deſiderabamus; ad quorum emendationem acceſſere in hoc noſtro Compendio, 1. rectior narratio, quanquam brevis, plurimarum rerum, quæ non ſatis commode Patrum noſtrorum ævo narrabantur; qualia ſunt, quæ de quatuor Monarchiis jactabantur; aliaque multa; 2. indicatio Scriptorum recentiorum, ex quibus plenior cognitio variarum rerum, quarum breviter meminimus, hauriri queat; 3. accuratior & verior expoſitio multorum ad Hiſtoriam Sacram & Eccleſiaſticam pertinentium, quàm quæ alibi traditur. Scriptores plerique, quaſi ex compacto, laudant quidem ac probant per omnia eos, quibus res ex voto ceciderunt; contrà verò omnia fermè damnant, & convitiis inurunt in iis, qui numero ſuffragiorum victi ſunt; quaſi ſecundior eventus, aut multitudo conſentientium certiſ-

certiſſima eſſent veritatis argumenta, aut quicunque laudati ſunt olim, digni laudibus: ut qui damnati, ſontes fuiſſent. Nos verò nec abſolvimus, nec damnamus hîc quenquam, niſi quos res ipſa manifeſtò abſolvit aut damnat; & ut plurimum etiam rem duntaxat narravimus, cùm non quæramus hîc, quæ dogmata falſa aut vera ſint, ſed quæ verè contigerint, ac facta fuerint.

Volueramus hoc obſervari, in hac Epitome; ut cùm primùm de quopiam ſermo eſſet, nomen ejus *Italicis*, aut *Currentibus* literis, ut loquuntur Typographi, ſcriberetur; exceptis Scriptoribus qui laudantur, quorum nomina ſemper iis characteribus edi debuerunt. Qua in re peccata, quæ in priore Editione admiſſa fuerant, in poſteriore hac emendata ſunt. Vale, LECTOR, & te operâ provirili juvanti votis faveto.

Secundùm recuſum eſt hoc Opùſculum anno 1707, *tertiùm anno* 1710.

INDEX

INDEX PERIODORUM.

A. M.

I. PERIODUS *à Creatione Mundi ad Diluvium* Pag. 3

1656 II. PER. *à Diluvio ad Vocationem Abrahami* 5

2022 1962 III. PER. *ab Abrahami Vocatione ad Legem Mosaicam* 9

2553 1531 IV. PER. *à Legislatione Mosis ad Excidium Trojæ* 14

2800 1184 V. PER. *à Trojæ Excidio ad ædificationem Templi Jerosolimitani* 20

2992 992 VI. PER. *ab Exstructione Templi Jerosolimitani ad primam Olympiadem* 23

3208 775 VII. PER. *à prima Olympiade ad reditum Judæorum ex captivitate Babylonica* 27

3447 538 VIII. PER. *à Reditu Judæorum ad Vietam Carthaginem* 40

3703 201 IX. PER. *à Carthagine Victa ad* JESUM CHRISTUM 71

3903 X. PER. *à Christo Nato ad Conversionem Constantini Magni* 84

A. D. 312 XI. PER. *à Conversione Constantini ad Caroli Magni Imperium* 108

800 XII. *Imperium Caroli Magni.* 167

COMPENDIUM HISTORIÆ UNIVERSALIS

AB

INITIO MUNDI

AD TEMPORA

CAROLI MAGNI IMP.

QUEMADMODUM cùm Geographiæ cognoscendæ operam damus, ut facilius teneamus, ubi sint minùs nota oppida atque ignobiles pagi, solemus memoriæ infigere situm præcipuarum Urbium, circa quas minores alias vicosque collocamus: ita in Historiarum studio, conducit certa tempora illustri eventu insignia memoriâ tenere, ut ad ea, quæcumque nobis in Veterum monumentis occurrunt, referamus. Hi autem eventus vocantur ΕΠΟΧΑΙ, quia animus illis veluti ἐπέχει, seu *inhæret*, dum ætatem Mundi, Epocharum illarum operâ, in certa dividit intervalla.

Hoc noſtrum Compendium duodecim Epochis diſtinguemus, eóque complectemur quidquid à Mundi initio ad *Caroli Magni* Imperium contigit. Hic enim finis Antiquæ Hiſtoriæ ſtatui poteſt; quandoquidem circa hæc demum tempora, Imperium Romanum funditus periit, & nova in Aſia atque in Europa Regna exorta ſunt.

Prima Epocha erit *Creatio Mundi*, quæ contigit, ex calculo *Dionyſii Petavii*, quem in poſterum ſequemur, anno ante Chriſtum 3984. Hinc uſque ad Diluvium, continebitur Hiſtoria ann. 1656; hoc enim M. A. evenit κατακλυσμῷ, A. C. 2328.

Secunda erit *Diluvium Noachi*, à quo ad Vocationem Abrahami, quæ contigit A. M. 2022. A. C. 1962, ſunt anni 366.

Tertia ſumetur à *Vocatione Abrahami* ex Meſopotamia, unde ad Moſis Legiſlationem, quam referimus ad annum M. 2453. A. C. 1531. ſunt anni 431.

Quarta ſtatuetur *Legiſlatio Moſis*, à qua numeramus annos 347. ad captam Trojam A. M. 2809. A. C. 1184.

Quinta eſt *Excidium Trojæ*, unde ad Templum Jeroſolimitanum conditum, quod factum eſt A. M. 2992. A. C. 992, ſunt anni 192.

Sexta eſt *Exſtructio Templi Jeroſolimitani* à Salomone, quæ præceſſit 216 annis primam Olympiadem, quam numeramus ab A. M. 3208. A. C. 776.

Septima petetur à *prima Olympiade*, à qua numerantur anni 238. ad reditum ex Captivitate Babylonica, qui contigit A. M. 3446. A. C. 538.

Octava eſt *Liberatio à Captivitate Babylonica*, per Cyrum, quæ contigit 336. annis, antequam Carthago à Scipione vinceretur, A. M. 3782. A. C. 202.

Nona

Nona desumitur à *Carthagine victa*; quod contigit annis 202 ante Christi Natales, qui in annum M. 3984 incidunt.

Decima est *Annus Natalis* JESU CHRISTI, Servatoris nostri, à quo fluxerunt 312, ad Constantini Magni conversionem ad Religionem Christianam, quæ contigit A. M. 4296.

Undecima est à *Conversione Constantini*, quæ contigit 488 annis ante Imperium Caroli Magni, quod incidit in A. P. C. 800. A. M. 4784.

Duodecima est ab Imperio *Caroli Magni* petita, quâ hoc nostrum Antiquæ Historiæ Compendium claudetur. Intervalla porrò temporis, quod inter Epochas fluxit, *Periodos* vocamus.

I. EPOCHA, *Creatio.*

A Creatione Mundi ad Diluvium, fluxere anni 1656, *quod spatium complectitur*

I. PERIODUS.

Annus Mundi 1. — *Annus ante Christum* 3984.

CHronologorum accuratissimi existimant Mundum creatum fuisse autumnali tempestate, Mense Octobri, qua de re *Dionys. Petavius Ration.* Lib. II. P. 2. est adeundus, ut & de *Doct. Temp.* P. 2. Lib. IX. c. 7.

Nulla nobis supereſt Historia, quæ doceat, quid hoc temporis intervallo contigerit, præter Sacram; quæ adeò breviter & obscurè hæc narrat, ut nonnisi tenuis inde hauriri cognitio eorum temporum possit. Adiri potest Geneſis sex primis Capitibus, ubi post creationem Mundi, hi præcipui occurrunt eventus.

A. M. A. C N.

Creatio *Adami* & *Evæ*, eorum peccatum, & liberorum *Cainis* & *Abelis* procreatio.

129. 3853.

Cain interficit fratrem Abelem, cùm illi soli filii essent Adamo & Evæ, quæ postea peperit *Sethum*. De fœminini generis liberis nihil dicit Scriptura; nisi quòd Adamus ante non sit mortuus, quàm *filios* & *filias* procreasset, Gen. V. 4.

Seth, Enos, Cainan, Mahalaleel, Jared, Enoch, Methuselah, Lamech, Noah.

987. 2997.

Henoch in cœlum rapitur, priùs immortalis, quàm mortuus.

1536. 2448.

Deus corruptissimo mortalium generi denunciat diluvium per *Noachum*, centum viginti annis priusquàm contingeret.

Hîc duo observanda sunt: longævitas hominum antediluvianorum, & victus. Plura tunc sæcula vivebant, quod cùm quidam satis concoquere non possent, annos eorum menstruos fuisse dicebant; adeò ut 1200 anni, ante diluvium, efficerent tantum 100 annos solares. Verùm quàm hoc sit ridiculum, statim apparet ex calculorum collatione; etenim posito illorum calculo, *Sethus*, qui dicitur genuisse anno ætatis 105, genuisset 9 ætatis anno, aliique, ut Henoch, Cainan, & Mahalaleel multò citiùs. Vide *Lactantium* Inst. Div. Lib. II. c. 12.

Ad victum quod attinet, Veteres plerique & multi Recentiores existimarunt, eos fructibus tantùm victitasse, & κρεωφαγίαν post diluvium demùm incepisse; quod verisimile sit ex Gen. IX. 3.

II. EPOCHA,

II. EPOCHA, *Diluvium.*

A Diluvio Noachi ad Vocationem Abrahami, fluxere anni 366, quod intervallum complectitur

II. PERIODUS.

A. M.	*A. C. N.*
1656.	2328.

Diluvium à Deo, ad delendum corruptum hominum genus, terris cultis immissum est. Solus evasit Noachus, cum familia; cujus rei manifesta supersunt vestigia in antiquissimis Ethnicorum monumentis, de quibus inter alios conferri possunt *Hug. Grotius*, in Annot. ad Lib. I. de V. R. C. & *Sam. Bochartus*, in Phalegi Lib. I.

Memoria Noachi, ejusque filiorum *Semi*, *Chami*, & *Japheti*, variis involuta fabulis, apud Ethnicos supererat, ut iidem ostenderunt. Vestigia enim eorum Historiæ cernuntur in iis, quæ de Saturno, ejusque tribus filiis Jove, Neptuno, & Plutone dicuntur; quia Græci antiquissimum Græciæ Regem Κρόνον aut Saturnum, & ejus filios miscuisse videntur cum Noacho ejusque filiis, quamquam multò antiquioribus. Quod facilè fieri potuit temporibus, quibus nullæ scribebantur Historiæ, similia enim facta lapsu temporis confundebantur.

1809.	2175.

Genus humanum aggressum est ædificare turrim, quâ famam apud posteros propagaret, & circa quam sedes poneret, ne nimium dispergeretur; sed discordiâ dissipatum est in varias oras, & lapsu temporum factum est, ut lingua primæva variè apud remotos à se invicem populos mutaretur.

Vide quæ ſcripſimus, in *Comment. Philologico* ad Gen. XI.

Poſteritas quidem Semi in ſuperiore Aſia ſedes habuit; Chami verò partim in Aſia, partim in Africa; & Japheti in Aſia minore & Europa. Vid. Gen. c. X. & modo laudatum *Bochartum*.

Paullò poſt prima humani generis diſſidia, *Nimrod* filius *Chus*, Chaldaicè *Bar-Chus*, unde dictus eſt *Bacchus* à Græcis, cœpit Imperium conſtituere in *Meſopotamia*. Regni ejus principium fuere *Babylon*, *Erech*, *Chalne*, & *Acchad* in terra *Sinhar*, hoc eſt, Babylonia; ex qua egreſſus in Aſſyriam ædificavit *Niniven*, *Rechoboth*, *Chalach*, & *Reſen*, ut narrat Moſes Gen. X. 10, 11. quibus verbis ſignificatur tantùm fundamenta jeciſſe earum urbium, quæ poſtea ſic vocatæ fuerunt; *Ninive* enim, aliquot poſtea ſæculis, ſic dicta eſt à *Nino*. Vide *Bochartum*, Phal. Lib. IV. c. 12.

An regnum ab hoc primo Rege ad ejus poſteros, non interruptâ ſerie, pervenerit, non ſatis conſtat. *Africanus* quidem adfert nomina ſeptem Chaldæorum Regum, ſex verò Arabum, qui in Babylonia regnavere; ſed ea ſunt plane diverſa ab iis, quæ ex *Cteſia* alii adferunt. Primus eſt Africano *Evechous*, Cteſiæ verò *Belus*. Itaque illa omnia inter ἄδηλα ſunt numeranda. Vid. *Iſ. Voſſium* & *Dyon. Petavium*, in Chronolog.

Imperia tunc exigua erant, & quæ dici ſolent de magno illo Babylonico Imperio, cujus fines à *Nino* filio *Beli*, qui *Nimrodus* fuiſſe cenſetur, per totam Aſiam majorem prolati fuerint, meræ ſunt fabulæ. Eo enim tempore terræ ſilvis pænè obſitæ erant, & feris potius quàm hominibus habitabantur.

Paullò poſt cœperunt *Dynaſtiæ Ægyptiorum*, quæ quatuor fuerunt, *Thebaica*, *Thinitica*, *Memphitica*, & *Tanitica*, quarum Metropoles *Thebæ*, *This*, & *Memphis* in ſuperiore Ægypto, *Tanis* verò in

in inferiore. Primus tamen totam Ægyptum tenuisse videtur *Menes*, primus in unaquaque Dynastia Rex. Idem fuisse videtur ac Cham Noachi filius. Seriem ejus successorum habet *Joan. Marshamus*, Sæc. I. & seqq. qui de Antiquitatibus Ægyptiacis consulendus.

Circa hæc tempora, *Fohi* primus Serum Imperator videtur floruisse, quamvis eorum calculus superet calculum Hebraïcum, quem sequimur; & melius consentiat cum Græco Septuaginta Interpretum. At in quo sit error, quis definiverit? Vid. *Is. Vossium, de ætate Mundi.*

Haud multò post censetur ortum Regnum *Sicyoniorum*, in *Peloponneso*; quod obtinuit primus *Ægialeus*, quem circa hæc tempora collocant Chronologi. Vid. *Petavium.*

Videntur sub finem hujus periodi artes cœpisse florere, & jam Architectura nota fuisse; quoniam aliquot hoc tempore immensi operis *Pyramides* exstructæ putantur in Ægypto. Ceterum cùm hîc sit omnium antiquissimarum Historiarum initium, nihil fermè præter nomina Regum & Patriarcharum, ac fabulas habemus. Ad hoc enim temporis intervallum referendum videtur, quæ de Saturno ejusque filiis à Græcis narrantur; quibus quidem multæ fabulæ mistæ sunt, sed fides per omnia detrahi non debet. Multa sine dubio contigerunt in Græcia, quæ parentes liberis narrabant; unde factum, ut vel mentiendi libidine, vel quod antiquiores Historiæ, mutatâ præsertim Linguâ, non satis intelligerentur, multa falsa sint veris admista. Sed propterea tamen veritas non prorsus interiit; quod multis exemplis in notis ad *Theogoniam Hesiodi* ostendimus.

Hoc eodem tempore nata videtur Idololatria, cùm antea à toto genere humano unus Deus coleretur. Hæc autem fuit ejus origo. Norant præter

ter Deum ſummum, eſſe Mentes quaſdam ſeparatas, quæ *Angeli* vocantur; quas Deus ille ὕψιστος, inſtar Legatorum ſuorum, &, ſi ita loqui fas eſt, veluti minores Deos ad homines mittebat. Hos initio colebant tantùm tamquam Legatos Dei, ut videmus ipſos Hebræos eos magno honore affeciſſe. Sed cùm delapſi eſſent in hanc opinionem, Deum ſummum commiſiſſe minoribus Diis Imperiorum, Urbium, & Familiarum curam; paullatim ſummi Dei ferè obliti, minores illos Deos honore, ſummo Deo ſoli debito, affecerunt. Deinde exiſtimarunt Mentes præſtantium virorum, poſt obitum, minorum Deorum ordinibus inſeri; unde factum eſt, ut Reges defuncti colerentur, tamquam in Deorum numerum relati. Quod tamen non obſtitit, quominus inter pleraſque gentes remanſerit opinio illa antiqua & vera: eſſe ſummum Deum, eúmque unicum, à quo reliqui omnes penderent. Inſignis eſt, hanc in rem, locus apud *Maximum* Tyrium, Diſſert. I. Quis ſit Deus ſecundùm *Platonem*, ubi memoratis diverſis ſententiis de Dei natura, p. 5. Ἐν πολέμῳ δὴ πολλῷ, καὶ στάσει, καὶ διαφωνίᾳ, ἴνα ἴδοις ἂν ἐν πάσῃ γῇ ὁμόφωνον νόμον, καὶ λόγον, ὅτι Θεὸς εἷς πάντων βασιλεὺς καὶ πατὴρ, καὶ Θεοὶ πολλοὶ, Θεοῦ παῖδες, συνάρχοντες Θεῷ. ταῦτα δὴ ὁ Ἕλλην λέγει, καὶ ὁ βάρβαρος λέγει, καὶ ὁ ἠπειρώτης, καὶ ὁ θαλάττιος, καὶ ὁ σοφὸς, καὶ ὁ ἄσοφος. *In tanto bello, tanta contentione, & diſſenſione, unam videas in tota terra conſentientem legem, & opinionem: Deum eſſe unum, Regem omnium & patrem, Deoſque multos, Dei filios, unà cum Deo imperantes. Hæc Græcus dicit, hæc barbarus, hæc continentis incola, hæc maris, & ſapiens & inſipiens.*

Quia porrò in ſtatuis aliquando Oracula ediderunt Angeli, ut haud ineptè conjicit *Joan. Spencerus de Urim & Thummim*, ſtatuas Diis ſuis collocarunt.

prim & Thummim were Ornaments wch the Priests wore, by wch they gave oracular responses.

locarunt. Factum poſtea videtur, ut cùm & cultus, & mores gentium Angelis Lucis diſpliceren, quia ſe loco Creatoris haberi à plurimis videbant, eas reliquerint, & in eorum locum ſucceſſerint Angeli Tenebrarum, unde Scriptura dicit Ethnicos adoraſſe Dæmonia; non quòd Ethnici ipſi crederent adorare ſe Naturas malignas, quas Diabolos vocamus; ſed quia Diaboli ſoli eorum Templa & ſtatuas incolebant. Sed hæc ſunt juſti voluminis argumentum.

III. EPOCHA, *Abrahami Vocatio.*

Ab Abrahami Vocatione ad Moſaïcam Legem datam, ſunt anni 431, *quibus conſtat*

III. PERIODUS.

A. M. 2022. *A. C. N.* 1962.

CUM jam Idololatria invaleſceret, Deus ſtatuit ſibi legere familiam ex toto genere humano; in qua cognitionem & cultum unius ſummi Dei inoleſcere non pateretur. Vocavit ergo Abrahamum ex poſteris Semi, ex Chaldæorum urbe, *Ur* dicta, eumque in *Chananæam* abire juſſit. Ei ſe clariùs ac ſæpius Angelorum miniſterio patefecit, & præſertim illuſtrem illam dedit promiſſionem, futurum aliquando, ut quiſpiam ex ejus poſteris cœli beneficia in omnes gentes advocaret.

Paullò poſt adventum Abrahami in Chananæam, cùm eſſent varii, cùm trans, tum cis Euphratem Reguli; ortum eſt inter eos bellum, quod narratur Gen. XIV. Ibi memoratur *Amraphel Rex Sinhar*, ſeu Babyloniæ, non tamquam Rex totius Aſiæ, ut vulgo Babyloniæ Reges tunc fuiſſe cenſentur;

A. M. *A. C. N.*

sentur; sed tamquam socius *Kedor-Lahomeri*, *Regis Elamitarum* multo potentioris, quippe qui subditos in ipsa Palæstina Reges aliquot haberet. Hinc validissimo argumento evertitur opinio de Regno Babylonico, quòd totam Asiam pervaserit, ante tempora Abrahami, sub *Nino* & *Semiramide*, & *Ninya* Semiramidis filio; quandoquidem hoc tempore Rex Babyloniæ erat Amraphel, non *Arius*, ut statuunt, qui *Ctesiam* sequuntur, aut *Ninyas* filius Nini, ut vult *Vossius* post *Africanum*; nec Rex Babyloniæ potentiam Regis Elymaidis æquabat.

Hisce temporibus, multi erant Reges in Palæstina ipsa; ex quibus *Abimelech* & *Melchisedek* memorantur, apud quos summi Dei cognitio adhuc supererat.

Historiam & natales Ismaelis, Isaaci, Esavi, & Jacobi habet etiam Scriptura, quæ consulenda.

2646. 1938.

Abrahamus annos XCIX natus mandatum Circumcisionis accepit. Eodem anno *Sodoma*, *Gomorra*, *Adma*, & *Tsebohim*, solo bituminoso fulmine incenso, subrutæ sunt; & subsidentibus terris, atque illuc influente *Jordane* fluvio, aliisque rivulis, & se bituminis fluentis miscentibus, natus est lacus *Asphaltites*; qua de re, in peculiari Dissertatione egimus. Hoc incendium, fugiente *Loto*, cum uxore & filiabus, contigit ejus uxorem curiositate vel subsistere, vel retro oculos flectere, & tam horrendo spectaculo territam animam efflare; sic enim intelligenda sunt ea Scripturæ verba: ותהי נציב מלח * *fuit statua in æter-*

---

* *Vatthei netsib melach*, vulgò, *& fuit statua salis*,

A. M. *A. C. N.*

num; hoc eſt obriguit, & inſtar ſtatuæ eo in loco remanſit; quod etiam aliâ Diſſertatione oſtendimus.

2127. 1857.

Tempore *Iſaaci*, *Inachus* in Peloponneſo *Argivorum* Regnum conſtituit, ſucceſſoreſque habuit, de quibus vide *Petavium*. *Tanaquillus* quidem *Faber*, vir doctiſſimus, in not. ad Bibliothecam Apollodori, poſtquàm obſervavit *temporibus Inachi nihil in Græcia vetuſtius*; *originis*, inquit, *externæ fuiſſe Inachum, vel ipſum per ſe nomen ſatis indicet*; *neque enim Inachus aliud fuerit, quam anach, ſeu enach, unde ἄναξ & ἄνακες in veteri Græcia*; *quæ vox, ut ex Poetarum ſcriptis certum eſt, Deum & Deos ſignificavit*. Hæc ille, intactam relinquens vocis etymologiam, de qua nobis ita videtur: Antiquiſſimis temporibus, primi omnium Phœnices rei nauticæ periti fuerunt, & remotas oras adire auſi ſunt. Nomen autem Phœnicum deductum eſt à voce Hebraica ענק *Anac*, dicti enim ſunt *Phœnices* quaſi בני ענק *Bene-anac*, ut multis oſtendit *Sam. Bochartus*, Chan. Lib. I. c. 1. hoc eſt, *filii Anak*, vel *Anacæorum*, qui in Palæſtina nobiliſſimi fuerunt. Quod cùm ita ſit, mirum non videbitur, ſi ſtatuamus primos, qui in Græciam appulerunt, coloniaſque in ea condiderunt, fuiſſe ex iis, qui ſe *Anacæos* dicebant, adeo ut primus illius oræ incola diceretur ענקי *Anachi*, *Anacæus* vel *Inachus*. Atque hinc factum, ut Dii & Reges ἄνακτες dicti fuerint, quaſi ex eo *Anacæorum* genere in numerum Deorum relati, vel ex iis oriundi, qui primi in Græcia regnarunt; ut in *Syria Hadadi*, in *Ægypto Pharaones* & *Ptolemæi*, Romæ *Cæſares* dicti ſunt Principes, ab eximio quodam, qui Imperii conditor fuerat, & id nominis geſſerat.

Ogyges

A. M.	A. C. N.
2202.	1782.

Ogyges in Attica Eleusinem condit, & viginti sex annis pòst, eo in Attica regnante, contigit diluvium, quod *Ogygium* dicitur, in Attica, plusquàm ducentis annis ante Deucalioneum. Fortasse hæc historia nata est ex historia Diluvii Noachi, quod vocari potest Hebraicè מבוי חוג Diluvium Oceani, *Mabboul Chog*, ex qua voce fieri potuit nomen *Ogygis*. Ita etiam Diluvium Noachi cum Deucalioneo confuderunt, ut postea videbimus.

2237.	1747.

Josephus Jacobi filius à fratribus venditus, in Ægyptum abductus, atque ibi, uti in Genesi narratur, summam auctoritatem adeptus, vocat eò patrem cum tota familia, quæ, permittente Rege Ægypti, sedes, in Nomo inferioris Ægypti Tanitico, posuit.

2373.	1611.

Moses Liberator & Legislator Israelis nascitur, dum dirâ *Pharaonis* crudelitate omnis proles masculà Israelitarum interficeretur.

Dicitur circa hæc tempora *Cecrops* ex Ægypto profectus coloniam deduxisse in Atticam, ubi duodecim oppida condidit, & leges patrias constituit.

Paullo post contigit diluvium Deucalionis in Thessalia, quod Græci cum eo, quo totum deletum est humanum genus, ut Deucalionem ipsum cum Noacho confuderunt. Dicit, exempli causâ, Scriptura, *Noachum fuisse virum terræ* איש האדמה *Isch Haadamah*, id est, *agricolam*; quæ verba possunt etiam verti, *virum nudum*, *Ma-*

ritus Pyrrhæ, ſeu *rubræ*, nam *adamah* rubram ſignificat, æquè ac terram. Hinc cùm Phœnices Græcis dicerent, eum, ſub quo Diluvium contigerat, fuiſſe אישׁ האדמה *virum rubræ*, id eſt, *terræ*, Deucalionem ſuum habuiſſe uxorem nomine *Pyrrham* exiſtimarunt. Vix etiam videtur Deucalion eſſe nomen viri unius, ſed potius latent duæ in hoc vocabulo voces, דגלי יון *digle jon*, vexilla Ionum; quibus verbis cohortes aliquot, quæ Diluvium effugerint, ſignificantur. Poſtea dicuntur deſerta loca colonis impleſſe, jactatis lapidibus, qui in homines mutarentur; quia, nimirum, eorum אבנים *abanim*, quæ vox *filios* & *lapides* Phœniciâ linguâ ſignificare potuit, loca illa occuparunt. Fuiſſe diluvium non univerſale, adeóque unum virum, cum una muliere dumtaxat, ſuperſtitem non fuiſſe, teſtatur, ex *Trogo Pompeio*, *Juſtinus*, Lib. II. c. 6 hiſce verbis: *Superfuerunt, quos refugia montium receperunt, aut ad Regem Theſſaliæ Deucalionem ratibus evecti ſunt, a quo propterea genus humanum conditum dicitur.*

Certè circa eadem tempora Phœnices, qui Europam coloniis ſuis impleverunt, ut eximiè oſtendit *Sam. Bochartus*, in ſuo *Chanaane*, duce *Cadmo* in Græciam appulerunt magno numero; quô & Religionem ſuam & innumeras attulerunt fabulas; quarum haud exiguam partem ex eorum verbis malè intellectis natam, docuit idem vir magnus modò laudatus, & nos, in noſtris ad *Heſiodi Theogoniam* notis, oſtendimus.

Moſis hiſtoria ex Scriptura peti poteſt. Fuga ejus ex Ægypto, reditus, miracula præcipua in Periodo hac noſtra tertia contigerunt.

The Egyptian Kings in these early ages were called Pharaohs afterwards they were called Ptolemys; so the Roman Emperors were called Cæsars

C. IV. EPOCHA,

It is not improbable that Sesostris was at this Time on the Throne of Egypt.

about this Time Messana in Sicily is supposed to be founded & called Zancle; but it having got it, & changed its name: Sparta also was built about the same Time, or rather later.

IV. EPOCHA, *Legiſlatio Moſis.*

A Legiſlatione Moſis ad excidium Trojæ, ſunt anni 347, *quibus conflatur*

IV. PERIODUS.

A. M. 2453. *A. C. N.* 1531.

CUM Iſraëlitæ, in inferiore Ægypto, per 217 annos permanſiſſent, ac diram paſſi eſſent ſervitutem ſub Regibus inferioris Ægypti; qui ab Ægyptiis *Paſtores* vocantur, & antiquis Ægyptiis eam regionem eripuerant; tandem multis editis miraculis, à Moſe liberati ſunt, uti Sacræ narrant Hiſtoriæ.

In Ægypto ad ingentem numerum excreverant, quandoquidem ſexcenta armatorum millia exierunt; unde minimùm fuiſſe viceſies centies millies capita, colligimus. Hi intra unam noctem mare Rubrum tranſierunt, quod fieri hac ratione potuit intra octo horas: Statuamus ſpatium maris fiſſi potuiſſe capere agmen, cujus frons eſſet 200 hominum, hoc eſt, circiter ducentos paſſus latum. Statuamus Iſraëlitas totam capacitatem illam impleviſſe, adeò ut frons agminis eſſet 200 hominum. Statuamus denique maris Erythræi alveum latitudine ſuâ complecti ſpatium duas horas longum, adeò ut alveo maris ita longi & lati poſſent contineri 1200000 homines agmine, cujus frons fuerit ducentorum hominum, incedentes. Quod nihil abſurdi habet, quandoquidem unicuique minimùm conceditur paſſus quadratus; iter enim duarum horarum complectitur minimùm ſex paſſuum millia, quæ ſi per 200, quæ fuit latitudo ſpatii

The Descendants of Kora (the Brother of Moſes) advised to be priests & Levites to assist in the Tabernacle.

ſpatii exſiccati, multiplicentur, efficient 1200000 paſſus quadratos. Hinc apparet primum ordinem agminis intra duas horas potuiſſe pervenire ad littus ulterius maris; cum verò ordinem, qui ſextum-milleſimum hominem ſequebatur, duabus poſt horis; quâ ratione 1200000 intra quatuor horas potuiſſent pertranſire fretum illud. Demus jam reliquis quatuor horas, intra octo totus Hebræus populus tranſierit. Verùm obſervandum eſt, mare Erythræum potuiſſe arctius eſſe, & ſpatium ex quo mare expulſum fuit majus; unde ſequitur, tranſitum illum, intra pauciores horas, fieri potuiſſe.

Mirum videtur tantum hominum numerum potuiſſe contineri in parte inferioris Ægypti; ſed minùs mirum erit ei, qui noverit, quam populoſa & fertilis olim fuerit Ægyptus, qua de re conſuli poteſt *Iſ. Voſſius*, Obſerv. Var. c. X. Nec ullum foret periculum, quamvis concederemus librarios potuiſſe incuriâ peccare in numeris, ut paullò majores in noſtris Codicibus aliquando legantur, quàm reverâ fuerint. Verùm hac de re iterum aliàs. Cum ſicco pede tranſiiſſent mare Rubrum, in deſerta Arabia per 40 annos vixerunt; ubi quid iis contigerit habetur in Libris Exodi, Levitici, Numerorum, & Deuteronomii. Eo in loco præſertim acceperunt Legem, quæ tria præceptorum genera complectitur. Quædam ad mores pertinent, & communi omnibus hominibus ratione nituntur: alia verſantur circa cærimonias ſacras: alia denique ad ſocietatem civilem continendam ſancita ſunt.

Moralia præcepta ab omnibus Gentibus paullò cultioribus, & ſapientiſſimis quibuſque viris comprobata ſunt. In cærimonialibus, multa ſunt ex Ægyptiis deſumta, quæ, quia iis adſueti jam erant Iſraëlitæ, Lege ſuâ ſancivit Deus; emendatis, quæ vitioſa eſſe poterant, qua de re conſuli poſſunt

A. M. A. C. N.

laudati Viri Clariſſimi *Joan. Marſhamus* & *Joan. Spencerus*. In politicis, multa erant quoque ſimilia, unde fit, ut Atticæ Leges in multis cum Hebraicis conſentiant, ut obſervarunt viri docti, & præſertim *Sam. Petitus*, qui eas collegit; quia, nempe, uti Cecrops primus Atticæ Rex, Ægyptius, ſuæ patriæ leges in Atticam intulit: ita etiam Moſes, juſſu Dei, Iſraëli Ægyptiis legibus adſueto, multa præcepit ex eis deſumta, licèt multa addiderit peculiaria. At præ ceteris omnibus, hoc habuit ſingulare Reſpublica Iſraëlis, quòd Deus ſummus eſſet ejus Magiſtratus, nec ullum ſit nomen ullius Politiæ, quod ei conveniat; adeò ut novum fingendum fuerit, nempe, ΘΕΟΚΡΑΤΙΑ, hoc eſt, Divinum regimen.

2493. 1491.

Moſes in terram Chananæam non ingreſſus moritur, relictâ Judæis Lege, quam Dei nomine tulerat.

2498. 1486.

Joſuæ ſubactam terram Chananæam duodecim + dividit Tribubus, & octo poſt annis moritur.

2500. 1475.

Argivi, pulſo ultimo Inachidarum Rege *Galanore*, Imperium *Danao*, qui ex Ægypto in Græciam venerat, deferunt.

2525. 1459.

Cùm Iſraëlitæ, poſt mortem Joſuæ, in idololatriam delapſi eſſent, à Rege Meſopotamiæ *Chuſane* domantur, eique per annos octo tributa pendunt; ſed tandem liberantur ab *Othoniele*, primo Iſraëlis poſt Joſuam Judice.

+ Iterum

A. M. *A. C. N.*
2583. 1401.

Iterum ad priſtina peccata devoluti Iſraëlitæ, ſubeunt jugum *Eglonis Moabitarum* Regis, quem interficit *Ehud* ſecundus Judex.

Circa hoc tempus, à quibuſdam *Minos* regnaſſe creditur; alii eum Cretenſium Regem multò ſeriùs vixiſſe volunt; alii geminum fuiſſe contendunt, antiquiorem unum, qui ſanctitate legum celebris fuit, alterum Theſeo æqualem, quique adeò ſub finem hujus Periodi noſtræ vixerit.

Regnum Trojanum à *Dardano*, *Erichthonio*, *Troe*, *Aſſaraco*, *Laomedonte*, aliiſque principibus conditum & ampliatum eſt, in Minore Aſia.

Pelops Phrygius, Tantali filius, regnat in Peloponneſo, totique regioni nomen imponit ſuum.

Hoc tempore, inſtituti ſunt ludi *Iſthmii*, qui tertio quoque anno in Iſthmo Corinthio celebrabantur, in honorem *Archemori*. Attamen Archemoro conſecratos volunt alii ab *Adraſto*, & ducibus Thebas petentibus, quod ſeriùs evenit. Fortè ab his dumtaxat inſtaurati fuere, in honorem Archemori, cum antea jam celebrarentur.

Belus eodem ævo regnabat in Aſſyria, & in Deorum numerum fato functus referebatur.

2663.

Jabin Chananæorum Rex ſubdit Iſraëlitas, at vigeſimo poſt anno, liberantur à *Debora* & *Baraco*.

2736. 1254.

Huic ſucceſſit *Gedeon*, qui Madianitas ſine prælio fudit. Hic aliter vocabatur *Jerubaal*, atque illum, inter conſcribendam ſuam Hiſtoriam, conſuluerat *Sanchoniathon* Berytius; qui Hiſtoriam Phœnicum linguâ Phœniciâ conſcripſerat, quam Græcè verterat *Philo Byblius*, cujus verſionis ſuperſunt

A. M. *A. C. N.*

persunt nobis fragmenta quædam. Vid. *Sam. Bochartum, Chanaanis* Lib. II. Capite ultimo. Consulenda & hac de re Dissertatio Anglica *Henr. Dodwelli*, qui suppositititium Sanchoniathonem contendit.

1214.

Abimelech, Gedeonis filius, interfectis septuaginta fratribus, munus Judicis invadit.

Huic ordine successerunt *Thola, Jair, & Jephtha*, quorum res gestæ narrantur in Libro Judicum. Observabimus tantum ex Historia Jephthæ, qui filiam suam devovit, viris quibusdam doctis natam videri fabulam Iphigeniæ, quam Græci in Aulide mactare aggressi dicuntur. Non multùm certè differunt ἰφιγένεια & ἰφθιγένεια; qua de re consulendus *Lud. Capellus*, in Diatriba de voto Jephthæ. Verùm hæc pertinent ad sequentem Periodum.

Temporibus horum Judicum Israëlis, multa cùm in Oriente, tum in Occidente, inter alias gentes contigerunt memoratu digna, quæ ad certum annum vix referri possunt.

In Asia Majore, tempore Deboræ, regnabat *Ninus Beli* filius, qui Niniven ædificavit, & Imperii Assyrii fines longè lateque per Asiam protulit. Tunc primum Imperium hoc floruisse videtur, adeò ut Ninus ejus veluti conditor haberi queat. Hic est accuratior *Herodoti* calculus, ex quo hoc *Imperium* veterum Assyriorum tantùm D. annis, præsertim in superiore Asia, stetisse colligitur.

Nino fato functo, Imperii habenas rexit vidua ejus *Semiramis*, de qua, ut & de Nino, legendus *Justinus*, Lib. I. Historiarum.

Palætyrus,

Palætyrus, ſeu antiqua *Tyrus*, ſub Imperio Nini in continenti condita eſt, ut nonnulli prodiderunt; aliis verò antiquior creditur.

In Græcia autem varii, cum in Attica, tum in Peloponneſo poſt alios alii regnant Reges, quorum ſeriem ſuppeditabit *Petavius*.

Sub *Erichthonio*, quarto poſt Cecropem Athenarum Rege, inſtituta ſunt Panathenæa; ſub *Erechtheo*, ſexto Rege, *Eleuſinia myſteria*, in urbe Atticæ Eleuſine, magnis & arcanis ritibus primum celebrata; & *Phœmonoe* prima Vates Delphis oracula verſibus hexametris cœpit fundere.

Hiſce temporibus, *Amphion* Thebis regnabat, *Perſeus* Mycenis.

Paullò poſt Baraci tempora, *Hercules Thebanus*, *Amphitryonis* & *Alcmenæ* filius, vixit. Creditus eſt filius Jovis, quia antiquiſſimis temporibus Διογενεῖς, *Jove geniti*, fortiſſimi quique dicebantur; quemadmodum Hebræieos vocant בני אלים *filios fortium*, vel *Deorum*, *Bene Elim*. Sed & aliæ acceſſerunt rationes ita loquendi, quas aperuimus ad *Theogoniæ Heſiodi* verſum 940. Fuere alii antiquiores Hercules, de quibus totaque eorum Hiſtoria, in ſingulari Diſſertatione egimus.

Ad id ævum referendum eſt iter Argonautarum, quod fabulis miſtum eſt, natis, ut videtur, ex malè intellectis Phœnicum id narrantium verbis. Navis, exempli gratiâ, vocatur *Argo*; ארכא, *Archo*, autem linguâ Phœniciâ ſignificat *navem longam*. Dicitur ea navis loquuta, quia vox Phœnicia דברה *doberah*, *loquentem* & *gubernaculum* ſignificat. Vide *Sam. Bochartum* in *Chanaane*, & Diſſertationem noſtram de *Statua Salina*.

Atreus & *Thyeſtes*, in Peloponneſo, paullò poſt vixerunt, inimicitiis & facinoribus nobiles.

Theſeus

A. M. *A. C. N.*

Theseus duodecim oppida à Cecrope in Attica condita, Gedeonis tempore, in unam urbem compegit.

Septem Duces adversus *Polynicen*, Thebarum Regem, bellum suscipiunt, *Adrastus*, *Eteocles*, *Amphiaraus*, *Tydeus*, *Hippomedon*, *Capaneus*, *Parthenopæus*.

2773. 1211.

Hi cum plerique eo in bello occubuissent, eorum filii ἐπίγονοι, hoc est, *posteri* καὶ ἐξοχὴν dicti, decem post annis, ultionem sumserunt de Thebanis; quos, duce Alcmæone Amphiarai filio, ingenti prælio superarunt.

2768. 1216.

In Italia regnabat *Janus*, annis 150 ante adventum Æneæ; *Latinus* verò circiter annis 35.

V. EPOCHA, *Trojæ Excidium.*

A Trojæ Excidio, ad ædificationem primi Templi Jerosolimitani, numerantur anni 192. *quibus constat*

V. PERIODUS.

2800. 1184.

PRopter *Helenam Menelai*, Spartæ Regis, uxorem raptam à *Paride*, *Priami* Trojæ Regis filio, ortum est bellum inter Trojanos & Græcos, qui post decem annos Trojam ceperunt.

Hanc autem Epocham, ex profana Historia desumtam, Epochis ex sacra hactenus notatis miscemus; quia nihil ferè est, in Historia Ethnica, magis

A. M. A. C. N.

gis decantatum. Hoc tempore, Judicis inter Hebræos múnere fungebatur *Jair Galaadita*.

Hunc in hac Periodo ordine sequuti sunt *Ibsan*, *Elon*, *Abdon*, *Samson*, *Eli*, & *Samuel*; quorum anni ex Petavianis Tabulis, Historia ex Scriptura peti possunt.

2802. 1182.

Æneas eodem ipso anno, quo Troja capta est, autumno ineunte, solvens in Thraciam appulit, ubi hiemavit; & duobus post annis, cùm interea in Sicilia, quo ex Thracia iverat, remansisset, Tyrrheno mari superato, æstate Laurentum appulit; ac paullò post, ductâ uxore *Latini* filiâ *Laviniâ*, urbem Lavinium ea in ora condidit; qua de re legendus *Dionysii Halicarnassei* Lib. I.

2803. 1181.

Rutuli, *Turno* Duce, contra Latinum & Æneam bellum movent; in quo, Latino & Turno interfectis, Æneas per tres annos in Latio regnavit. Ejus successorum seriem suppeditabit *Petavius*.

2817. 1167.

Paucis post annis, Sicyoniorum Regnum, quod, secundum quosdam annis circiter mille duraverat, plane desiit; anno, nempe, antequâm Jephtha Judicis munere fungeretur.

2832. 1152.

Ascanius, Æneæ filius, *Albam Longam* condidit, annis 30 post Lavinium conditum.

Heraclidæ,

A. M. *A. C. N.*
2881. 1103.

Heraclidæ, Ducibus *Temeno*, *Cresphonte*, & *Aristodemo*, in Peloponneso sedes figunt, *Samsone* Israëlem regente.

Anno sequente, cœpit Corinthiorum Regnum, ut & Lacedæmoniorum, quod per duas posterorum Herculis familias, *Eurystenidarum* & *Proclidarum* continuatum est. Hic collocatur Epocha *reditûs Heraclidarum*, celeberrima apud Græcos Scriptores; dicuntur autem tum demum rediisse in Peloponnesum, quia centum antè annis frustra eamdem regionem invadere conati fuerant.

2889. 1095.

Reditus ille contigit, Eli judicante Israelem, cui cum succeſſiſſet Samuel, Israelitæ Judicum auctoritatem aspernati sibi Regem creari postulant, & eligitur quidem *Saul* ex Tribu Benjaminitica.

Hujus tempore, *Codrus*, ultimus Athenarum Rex, se pro salute populi devovit. Cum de Regno contenderent ejus filii, *Medon* & *Nileus*, regiam potestatem Athenienses aboleverunt, & *Archontes* perpetuos quidem, sed qui populo administrationis rationem redderent, elegerunt. Medon, Codri filius, primus id munus gessit.

2913. 1071.

Hisce temporibus, Græci * *Javanis*, vel *Ionis* posteri, in Asiam, unde venerant, colonias miserunt. Quare & Athenienses Javanidæ, & † Æoli posteri, contendebant Asiam Minorem primùm

---

* Heb. יון quod legi potest *Ion*, aut *Javan*.

† Heb. בני עיעול *Bene Eol*, filii tempestatis, seu qui procellâ ex Asia in Græciam pervenerant.

à co-

A. M. *A. C. N.*

à colonis ſuis incultam fuiſſe; cum debuiſſent agnoſcere ſe inde quidem ortos, ſed poſtea novis colonis regionem non ſatis cultam impleſſe. Ab iis conditæ Cuma & Smyrna.

2929. 1055.

Poſt Saulem regnat *David*, ex Tribu Judæ, primùm Paſtor, deinde Rex & Propheta.

2969. 1015.

Davidi ſuccedit *Salomon*, qui pacis artibus eximius fuit, ut Pater artis militaris peritiâ excelluerat, & Templum Deo exſtruxit.

VI. EPOCHA, *Templi Jeroſolimitani Exſtructio.*

Ab Exſtructione Templi Jeroſolimitani, ad primam Olympiadem, fluxerunt anni 216, *quibus conflatur*

VI. PERIODUS.

2992. 992.

SAlomon Templum, quod patri Davidi id operis aggredi cupienti vetitum fuerat, Deo Iſraëlis exſtruxit, atque anno Regni 23 abſolvit. In hoc recondita fuit Arca Fœderis, quæ antea ſub Tabernaculo Moſis fuerat.

Scriptura docet, hunc Regem cùm animi, tum corporis dotibus maximis ornatum, & ingentibus divitiis à Deo donatum fuiſſe; nec tamen, ſub vitæ finem à mulieribus tentatum, earum illecebris reſtitiſſe; adeo ut in idololatriam, præ uxorum

&

A. M. *A. C. N.*

& concubinarum amore, quas longè plurimas habuit, delapsus turpiter fuerit.

Hujus tempore potentes erant Tyrii Reges, & *Hiram* quidem, qui tunc regnabat, fœdus cum Salomone habuit. Vide *Joan. Marshamum*, ad Sæc. XIV.

In Syria regnabat *Hadarezer*, aut ejus filius, ut apparet ex 2 Sam. X. & ab eo tempore potentissimi fuisse videntur Syriæ Reges ad *Nabopolassarem*, qui Syriam unà cum Judæa Assyriorum Imperio subjecit. Vide 1 Reg. XX. 2 Reg. VIII. IX. XII. Hoc tempore, *Dionys. Petavius* existimat vixisse *Homerum*, nondum elapsis ab excidio Trojano ducentis annis. Vid. Lib. de Doct. Temp. ix. c. XXX. Alii centum annis minimùm recentiorem faciunt. Illi æqualis fuit *Hesiodus*, aut eo saltem paullò junior, vel etiam, si marmoris Arundelliani auctoritatem sequamur, paullò antiquior. Vide *Joan. Marsham.* ad Sæc. XV.

3009. 975.

Salomoni successit *Roboamus* filius, qui imperitiâ suâ decem Tribuum Imperium amisit, servato tantùm Regno Judæ & Benjaminis.

Jeroboamus, filius *Nabati*, invasit decem reliquas Tribus; quibus Vitulos aureos adorandos conflavit, sicuti narratur Libro primo Regum.

Hinc divisa fuit Jacobi posteritas in Regnum Judæ & Regnum Israëlis, quæ perpetuâ serie diversi per aliquot sæcula habuerunt Reges, quorum nomina & anni ex Tabulis Petavianis peti poterunt.

Tempore Roboami vixit *Sesac*, seu *Sesostris*, Rex Ægypti potentissimus, qui expugnavit Jerosolimam, & conjunctis in unum Regnum quatuor Ægypti

A. M. *A. C. N.*

Ægypti Dynastiis, magnam Asiæ partem victor peragravit. Vide *Marsham.* ad Sæc. XIV & XV.

3026. 958.

Abia, filius Roboami, patri in Regno Judæ successit, & cum exercitu quadragesies decies centies militum Jeroboamum, qui duplò majores copias habebat, aggressus, eum devicit. Nec mirum videri debet, in tam exigua regione, potuisse tot milites inveniri; quoniam tunc non milites conducti, sed omnes, præter senes, pueros, & ægros, viri expeditionem suscipiebant. He was succeeded by Asa Jehoshaphat, good Princes; and a bad one, Jehoram.

3098. 886.

Pygmalionis Tyriorum Regis anno septimo, regnantibus in Juda & Israële duobus Regibus cognominibus, uterque enim *Joramus* vocabatur; *Dido*, Tyro profecta, *Carthaginem* condidit, trecentis fermè annis post excidium Trojanum; unde liquet, *Virgilium*, qui Æneam & Didonem æquales fecit, ingentem anachronismum commisisse. Vide *Sam. Bochartum* Chanaan, Lib. I. c. XXIV. qui docet nomen Phœnicium Carthaginis fuisse *Carthada*, id est, קרתא הדרת *Cartha-hadath*, vel חדתא קרתא *Cartha-hadthah*, urbs nova; arcem verò vocatam בצרה *Botsrah*, quod cum Græci pronunciarent *Byrsa*, nata est inde fabula de corio bovis in minutissimas ligulas secto; nam βύρσα est *corium Bovis*, cum vox Hebraica *munimentum* significet. In the time of Ahab K. of Israel Elijah by taken up into heaven & succeeded by Elisha.

3100. 884.

Mortuo *Ochoziâ*, Rege Judæ, *Athalia*que ejus matre, extinctâ stirpe regiâ, per tyrannidem Regnum obtinente; florebat, in Græcia, *Lycurgus* Lacedæmoniorum Legislator celeberrimus; cujus

Jehu King of Israel, destroyed Ochoziah & whole house of Ahab.

A. M. *A. C. N.*

Leges, apud *Xenophontem* in Republica Lacedæmoniorum, & *Plutarchum* in Lycurgi vita, legi possunt. Hoc maximum in ejus πολιτείᾳ vitium fuit, quòd esset tota militaris, quasi Respublica minùs constaret pacis artibus, quam bellicis virtutibus. Huic proximum fuit, quòd infantes omnes, qui cum aliquo vitio in corpore nascebantur, & *Hilotæ*, sive agrorum cultores, ne nimium in numerum crescerent, trucidarentur.

3108. 876.

Hoc anno, *Petavius* & alii finem imponunt Imperio Babyloniorum, interfecto ab *Arbace*, Medorum Præfecto, *Sardanapalo*; qui ultimus numeratur, quasi nemo ei suffectus esset, & Medorum Imperium Babylonico successisset; quod confutavimus, in Comment. Philologico ad Cap. X. Geneseos.

Arbaces Medus, excusso jugo Babyloniorum, libertatem Medis reliquit; quam per quinquaginta circiter annos conservarunt, donec *Dejocem* Regem eligerent, ut narrat *Herodotus*, Lib. I.

3142. 842.

Joazo Judæ, & *Jehoachazo* Israëli imperantibus, *Hazael*, qui Benhadadum Regem Syriæ Dominum suum interfecerat, & solium ejus occuparat, Judæ & Israëli molestissimus fuit; nec filius ejus *Benhadad* aliter se erga Hebræos gessit, sed victus fuit à Rege Israëlis, 2 Reg. XIII. 25.

3166. 824.

Hisce temporibus vivebat *Elisæus* Propheta, *Eliæ* successor. Paullò post vixit *Jonas* Propheta, qui Jeroboamo Israëlitarum Regi victoriam de Syris prædixit, 2 Reg. XIV. 25. Quo anno ad Ninivitas

A. M. *A. C. N.*

Ninivitas iverit, non constat; sed sine dubio, id contigit ante Ninives excidium, quod *Nahum* Propheta prædixit, & quod videtur evenisse sub Imperio Nabuchodonosoris Babyloniorum, & Cyaxaris Medorum Regis. Vide *Petavium*, de Doct. Temp. Lib. X. c. III.

3170. 814.

Macedonum Regnum hoc anno conditum est, regnantibus apud Hebræos, *Jeroboamo* II. in Israële, *Joazo* in Juda. *Caranus* Argivus, ex Heraclidarum stirpe, & ab Hercule quidem undecimus, è Peloponneso adductâ hominum manu, primus in Macedonia imperitare cœpit. Ejus successores, ad *Philippum* usque, suppeditabit *Petavius*.

VII. EPOCHA, I. *Olympias.*

A prima Olympiade, ad reditum Judæorum ex Captivitate Babylonica, fuerunt anni 239, quibus constatur

VII. PERIODUS.

A. M. *A. C. N.* *Anni Olympiadum.*

3208. 776. OL. An. 1.

REgnante apud Judæos *Azariâ*, agones Olympici, ab Hercule olim instituti, ab *Iphito* restaurati sunt. Unoquoque quarto anno redibant, & durabant per quinque dies. Celebrabantur mense Julio, ad urbem Elidis Olympiam, quæ cùm vicina esset Pisæ, aliquando cum ea confunditur; & in iis quinque potissimum exercitii generibus certabatur, saltu, cursu, disco, jaculo, luctâ;

A. M. *A. C. N.* *Olym.*

& qui in hiſce omnibus vincebat, vocabatur πένταθλος, Latinè *Quinquertio*; ſed poſtquàm Græci cœperunt equos alere, admiſſa ſunt etiam equorum certamina, ſeu ſingulari equo, ſeu bigis aut quadrigis. Poſtea etiam addita ſunt certamina Muſices, Poëſeos, Eloquentiæ, &c.

Cùm unoquoque quarto anno redirent, Olympias dictum eſt ſpatium quatuor annorum, atque inde Græci per Olympiades annos numerare cœperunt; unde initium duxit quidquid eſt certi ac indubitati in eorum Chronologia. Antea ferè nihil eſt explorati, ad annos quod attinet; unde *M. Varro*, qui ævum mundi in tres Periodos diviſerat, incertam, fabuloſam, & hiſtoricam, poſtremam hinc inchoabat. De Chronologia Græcorum, vide *Joan. Marſhamum* ad Sæcul. XVI. & egregium opus *Henr. Dodwelli* de Græcorum, Romanorumque Cyclis.

3213. 771. II, 2.

Hoc tempore *Phul*, Rex Aſſyriorum, Iſraëlitas vexavit, & tum videtur inſtaurata fuiſſe Ninive, quæ ab Arbace Medo deſtructa antea fuiſſe dicitur.

Circa eadem hæc tempora, Græci in Siciliam colonias duxerunt; inter quas præcipua fuit ea, cujus dux erat *Archias Corinthius*, qui Syracuſas condidit.

Tunc etiam prophetatus eſt *Hoſeas*, quem intervallo ſequutus eſt *Eſaias*, vel potius æquavit, ut ætatis, ita prophetiarum tempore.

Hoc ævo, nempe Olymp. V. 4. Archontes, qui hactenus fuerant perpetui, Athenis facti ſunt decennales, & primus quidem fuit *Alcmæon*.

Poſtquam ab Æneæ temporibus XIV. regnaſſent Reges in Latio, *Romulus Numitoris* nepos no-

A. M. *A. C. N.* *Olymp.* *U. C.*

vum condidit Regnum, cujus Roma Metropolis fuit. Ejus fundamenta jacta putantur sub finem anni tertii Olympiadis sextæ, unde anno sequente initium est annorum, qui ab Urbe Condita numerantur.

3231. 753. VI, 4. 1.

Primus Romanorum Rex Romulus regnat annis 38. Anno sequente, Olympionicæ coronari cœperunt, cùm antea nihil præmii auferrent, nisi quod eorum nomina in tabulas publicas referrentur. Coronæ illæ erant ex Pinu, Malo, Olea, aut Apio. Asylum, Rape of Sabin Virgins, Levy.

3237. 747. VIII, 2. 7.

Dum Phul, aut *Tiglath-Phalasar*, qui ei successit, in Assyria regnaret, Regnique sedes in urbe Ninive collocaret, cœpit regnare Babylone *Nabonassar*; unde celeberrima, apud Chaldæos, *Æra Nabonassaris* incipit. Hic videtur instauraſſe Imperium Babylonicum, quod interciderat, & idem fuisse qui *Baladan* dicitur, cujus filius fuit *Merodac*, 2 Reg. XX. 12. Vide *Petavium*, Lib. IX. c. 52. de Doct. Tempor.

Sabini arte quadam Tarpeiâ rupe occupatâ, Romanis graves erant; & jam litem prælio diremturi, matronarum Romanarum interventu, reconciliati sunt; ita ut coalescerent populi, & *Tatius* ac Romulus unà regnarent.

3241. 743. IX, 2. 11.

Messeniacum bellum, inter Messenios & Lacedæmonios, hoc anno incepit, & per viginti annos, donec deleti essent Messenii, duravit; *Aristodemo* Messenio, viro fortissimo, imperante patriis copiis. Consulendi *Pausanias* & *Justinus*.

The Cause of the Messenian War seems to have been a Border Strife between the Messenians & Lacedæmonians, ever since the division of the Land by the Heraclidæ, the Lacedæmonians thinking it necessary to get Messenia by Stratagem.

A. M. *A. C. N.* *Olymp.* *U. C.*
3258. 726. XIII, 3. 28.

Regnante apud Judæos *Ezechiâ*, Lacedæmonii ab Ariſtodemo ingenti prælio victi, ad ſufficiendam ſobolem, uxores ſuas proſtituunt; unde nati ſunt *Parthenii*, qui triginta pòſt annis, duce *Phalanto Araci* filio, qui auctor proſtituendarum fœminarum fuerat, ad novas ſedes quærendas profecti, Tarentum in Italia occuparunt. Vide *Juſtinum*, Lib. III.

3263. 721. XIV, 4. 33.

Salmanaſar, qui in Aſſyriæ Regno Tiglath-Phalaſaro ſucceſſit, hoc anno, qui Regni Ezechiæ ſeptimus fuit, captâ Samariâ & Hoſeâ Iſraëlis Rege, decem Tribus in captivitatem abduxit, in Aſſyriam & Mediam; earumque loco, miſit gentes Idololatriæ deditas, quarum hiſtoria habetur 2 Reg. XVII. Inde prognati ſunt poſtea dicti *Samaritani*, qui Legem Moſis ſuſceperunt, atque ex Libris ſacris Pentateuchum ſolum admiſerunt; ſcriptumque etiamnum hodie ſervant antiquis Hebræorum characteribus, quos Judæi Chaldaicis mutarunt.

3269. 715. XVI, 2. 39.

Romulus primus, ut diximus, Romanorum Rex, Ezechiæ æqualis, dum ad Capreæ paludes exercitum luſtraret, coortâ tempeſtate, nuſquam conſpectus eſt. Interfectum à Senatu quidam volunt, & poſtea, ut invidiam declinaret, in Deorum numerum relatum, quaſi Mars eum in cœlum rapuiſſet. Vide *Dionyſium* Halicarnaſſ. Lib. I.

Circa hoc tempus, *Sennacherib*, Rex Aſſyriæ, in Judæam cum exercitu ingreſſus eſt, uti narratur 2 Reg. XIX.

In

A. M. *A. C. N.* *Olymp. U. C.*

In Asia verò Minore, rerum potiebatur *Gyges* ille, divitiis celeberrimus, *Mnermnadarum* primus Lydorum Rex, post quatuor ex Herculis prosapia; quorum postremum, *Candaulem* nomine, ipse è medio sustulit, à Regina adjutus.

3270. 714. XVI, 3. 40.

Romulo successit, in Romano Regno, *Numa Pompilius*, qui Religionis ritibus, & legibus civilibus Romam ornavit, ac per 43 annos regnavit.

Sequente anno, *Merodac*, Rex Babyloniorum, dum Assyriis Sennacheribi filius *Assaraddon* imperaret, misit Legatos ad Ezechiam, ut legimus 2 Reg. Cap. XX. Assaraddon creditur Babylonicum Regnum invasisse, quæ opinio eo argumento nititur, quòd in Scriptura non amplius postea distinguantur Babylonii Reges ab Assyriis.

3286. 698. XX, 3. 56.

Patri Ezechiæ, pio Regi, succedit impius filius *Manasses*, qui octavo pòst anno Babylonem in captivitatem abductus, post actam pœnitentiam, restitutus fuit, atque in universum regnavit annis LV.

Hujus tempore, Medi, qui Arbace duce, jugum Babyloniorum Regum excusserant, *Dejocem* æquitate & justitiâ insignem Regem sibi constituunt; qui *Ecbatana* urbem celeberrimam condidit, de cujus magnitudine & nomine *Sam. Bochartus*, in suo Phaleg. Lib. III. c. XIV.

3297. 687. XXIII, 2. 67.

Ab hoc anno, Athenis Archontes annui fuerunt, quorum primus fuit *Creon*.

Messenii anno, post primum bellum, quod cum Lacedæmoniis gesserant, XXIX. ab iis defecerunt,

Duce

A. M. *A. C. N.* *Olymp.* *U. C.*

Duce *Ariſtomene*; qui, per quatuordecim annos, fortiſſimè eos tutatus eſt. Sed tandem Lacedæmonii decennali obſidione Meſſenen ceperunt, & finem bello impoſuerunt. Meſſenii verò reliqui, everſâ patriâ, in Siciliam navigarunt, ubi *Zanclen* occuparunt, quam Meſſanam appellavere.

3313. 671. XXVII, 2. 83.

Anno ante hanc navigationem, *Tullus Hoſtilius*, tertius Romanorum Rex, Numæ Pompilio ſucceſſit, atque regnavit per annos viginti tres.

A temporibus Seſoſtris, Regis Ægypti, quem Roboami tempore vixiſſe diximus, Ægyptus inteſtinis diſcordiis turbata fuerat, & inter plures Principes diſcerpta; donec rurſus, ſub hoc ævum, *Pſammetticho* ſoli pareret, qua de re videndus *Joan. Marſhamus*, ad Sæcul. XVI.

3326. 658. XXX, 3. 90.

Cypſelus Corinthi tyrannidem invaſit, & tenuit annos triginta, expulſis Bacchiadis, qui hactenus rerum potiti fuerant; unde factum, ut *Demaratus* Corinthius in Italiam, tyrannidis odio, navigaverit, & *Tarquiniis* Etruriæ oppido conſederit.

3341. 643. XXXIV, 2. 111.

Manaſſi, Regi Judæ, ſucceſſit *Amon* filius; qui, cùm per biennium regnaſſet, ſucceſſorem reliquit *Joſiam*, Regem pium ac juſtum.

3345. 639. XXXV, 2. 115.

Ancus Martius, Romanorum Rex quartus, ab hoc anno regnavit per annos 24.

Tunc natus eſt *Solon*, Athenienſium Legiſlator, & præcedenti quidem anno, *Thales Mileſius*, quorum uterque fuit e ſeptem illis decantatiſſimis Græciæ

A. M. *A. C N.* *Olymp.* *U. C.*

ciæ Sapientibus. Quinque reliquorum, qui duobus ſuperioribus æquales fuerunt, hæc ſunt nomina: *Periander* Corinthius; *Pittacus* Mitylenæus; *Bias* Prienæus; *Chilon* Lacedæmonius; *Cleobulus* Lindius. De his conſulendus ludus ſeptem Sapientum, ab *Auſonio* ſcriptus.

Paucis poſt annis, *Phraortes*, Dejocis Medorum Regis filius, Niniven obſidere aggreſſus, cum maxima copiarum parte periit. Sed *Cyaxares* filius, qui illi, Joſiæ Regis tempore, ſucceſſit, mortem patris ulturus, eamdem inſtauravit denuo obſidionem; regnante Babylone patre, vel avo Nabuchodonoſoris. Cùm in ea obſidione occuparetur Cyaxares, *Scythæ*, Madye duce, ex Scythia erumpentes, eum oppreſſerunt; & per totam illam Aſiæ partem, quæ magis ad Auſtrum vergit, vagati, eam octo & viginti annis obtinuerunt.

3359. 625. XXXVIII, 4. 129.

Hoc anno, ex conjectura *Dion. Petavii*, *Nabopolaſſarus*, Nabuchodonoſoris pater, regnare cœpit Babylone, &, ut auctor eſt *Beroſus*, qui tempore Alexandri Chaldæorum Annales ſcripſit, Ægypto, Phœniciæ & Syriæ Satrapam impoſuit; quem poſtea rebellantem in ordinem, per filium Nabuchodonoſorem, coëgit.

3361. 623. XXXIX, 2. 131.

Draco Athenienſium Leges emendat, & ſeveras adeò ſcribit, ut dixerint eas ὐ μέλανι, ἀλλ' αἵματι γεγράφθαι *non atramento, ſed ſanguine, fuiſſe ſcriptas.*

3370. 614. XLI, 3. 140.

Hoc anno regnare cœpit quintus Romanorum Rex *Tarquinius Priſcus*, anniſque 38 Reip. habe-

nas

A. M. *A. C. N.* *Olymp. U. C.*

nas tenuit. Hic fuit Demarati Corinthii filius; qui, cùm antea *Lucumo* vocaretur, *Lucinus*, & quia Tarquiniis vixerat, *Tarquinius* dictus est.

3374. 610. XLII, 3. 144.

Josiæ, à *Nechaone*, Ægypti Rege, victo & interfecto, successit filius Joachaz, qui mensibus tantùm tribus regnavit; abducto enim in Ægyptum suffecit Nechao *Joakimum*, qui undecim annis regnum tenuit.

3376. 608. XLIII, 1. 146.

Nabopolassar hoc anno Nabuchodonosorem filium misit in Syriam, ut rebellem præfectum in ordinem cogeret; quo peracto, Nabuchodonosor Judæam peragravit, cepit Jerosolimam, tributum imposuit Joakimo Rege, captivosque aliquot abduxit, inter quos erat *Daniel* Propheta. Inde Babylonem rèversus, patri mortuo successit. Atque hinc initium ducunt septuaginta anni, de quibus *Jeremias* c. XXX.

Paucis post annis, *Scythæ Nomades*, postquàm per XXVIII annos Asiam tenuissent, à Cyaxare convivio excepti, & vino ac somno sepulti, internecione deleti sunt.

3385. 599. XLV, 2. 155.

Hoc anno Nabuchodonosor è solio deturbavit Joakimum, qui in eum rebellaverat, ejusque loco *Joachimum* ejus filium constituit, qui non ultra tres menses & aliquot dies regnavit; nam, cùm etiam rebellasset, à Babylonio exercitu Jerosolimæ obsessus, dedidit se, & Babylonem abductus est. Hæc fuit secunda captivitas, quâ *Ezechiel*, *Mardochæus*, & *Josedekus* Maximus Pontifex deportati sunt.

Tum

A. M. *A. C. N.* *Olymp. U. C.*

Tum Nabuchodonoſor Joachini loco *Mathanjam* ejus patruum Regem conſtituit, & *Sedeciam* appellavit. Hic Regum Judæ ultimus per annos undecim regnavit.

Hiſce temporibus, *Epimenides*, & *Anaximander* Philoſophi, *Alcman*, & *Alcæus* Poëtæ, ac *Sapho* Poëtria floruerunt; atque ab hac demum ætate, Græcia hujuſmodi ingeniis abundavit.

3390. 594. XLVI, 3. 160.

Solon haud multò poſt, Athenis Præturam annuam gerens, Leges Dracontis nimium ſeveras, ut narrat *Plutarchus* in Solone, emendavit.

Eodem anno *Aſtyages*, ultimus Medorum Rex, patri Cyaxari ſucceſſit, dum Babylonicum Imperium obtineret Nabuchodonoſor; qui tribus pòſt annis Jeroſolimam cepit, Sedeciæ, interfectis coram ipſo liberis, oculos effodit; & paucis pauperibus exceptis, Judæos omnes in captivitatem abduxit.

Paullò poſt etiam, ſecundùm prædictionem Ezechielis c. XXVI, & ſeqq. idem Rex Tyrum poſt diuturnam obſidionem cepit, & ſolo æquavit, numquam poſtea inſtaurandam; quod intelligendum de Palætyro, quæ erat in continenti, non de nova, quæ in inſula fuit, & quæ nunc demum condita eſt. Cum enim Tyrii viderent, ſe non amplius pares eſſe Chaldæis, pretioſiſſima quæque, cum uxoribus & liberis, navibus in vicinam inſulam aſportarunt, antiquâ urbe relictâ Chaldæorum exercitui, & in inſula novam condiderunt. Vide *Joan. Marſham.* ad Sæc. XVIII.

Judæâ & Palæſtinâ reliquâ ſubactâ, Nabuchodonoſor Ammonitas & Moabitas Imperio ſuo ſubdidit, & paullò poſt etiam Ægyptios.

Amphyctiones,

A. M.	*A. C. N.*	*Olymp. U. C.*
3397.	587.	XLVIII, 2. 167.

Amphyctiones, hoc est, Senatores ex universa Græcia electi, qui de rebus Græciæ communibus agebant Delphis, Pythicum agonem constituerunt tetraetericum, non secus ac Olympicos Ludos, in honorem Apollinis.

3407.	577.	L, 4. 177.

Sextus Romæ regnavit *Servius Tullius* annis 44, cujus ignorati sunt parentes; unde *Seneca* Ep. CVIII. *Hoc subnotat*, inquit, *duos Romanos Reges esse, quorum alter patrem non habet, alter matrem. Nam de Servii matre dubitatur. Anci pater nullus, Numæ nepos dicitur.* Quæ verba digna sunt observatu, quia luculenter illustrant loquutionem Scriptoris Epistolæ ad Hebræos, ubi dicit Melchisedekum ἀπάτορα καὶ ἀμήτορα fuisse.

Anno sequente, cùm Nabuchodonosor *Amasin* Ægypto præfecisset, in *Apriem* Regem, quem *Vaphree* vocat Jeremias, interfecit; & postquam per aliquot annos, nomine Babyloniorum Regis, Ægyptum administrasset, jugum ejus excussit.

Eodem tempore, Nemeæus Agon ab Argivis primùm celebratus est. Floruit tunc celeberrimus, apud Græcos, Apologorum auctor *Æsopus* Phryx.

3420.	564.	LIV, 1. 190.

Nabuchodonosori mortuo succedit filius *Evilmerodach*, qui regnavit annis tribus. Ei interfecto filium suum substituit *Neriglissor*, Nabuchodonosoris gener, & tutor filii Imperium administravit annis quinque, quos ideò *Baltassari* (sic ejus filius vocabatur) tribuit Daniel.

Circa hæc tempora, *Pisistratus* Athenis primum Tyrannidem occupavit, quam postea bis ejectus, bis

A. M. *A. C. N.* *Olymp. U. C.*

bis intra ſexdecim annorum ſpatium, recuperavit.

Tunc etiam *Aſtyages*, ultimus Medorum Rex, ſecundùm *Juſtinum* & alios, exutus eſt Imperio à *Cyro* nepote; ſecundùm alios verò, quorum ſententiam, *Xenophontis* auctoritate nixam, libentiùs ſequimur, cùm Nerigliſſor Rex Babyloniorum bellum illi intuliſſet; mortuus eſt, & ſucceſſorem reliquit *Cyaxarem* II. qui copiis ſuis ſummo cum imperio præfecit *Cyrum* filium *Mandanes* ſororis, Aſtyagis filiæ, & *Cambyſis* Perſarum Regis, qui Medis vectigalia ſolvebat. Quamquam non eſt diffitendum, *Joan. Marſhamum* utramque hanc opinionem ita conciliare; ut ſtatuat, præter Medorum Regnum, cujus ſedes erat urbs Ecbatana, fuiſſe alterum Medo-Perſarum.

Putat, nempe, Cyaxarem I. Medorum Regem, quem *Aſſuerum* fuiſſe exiſtimat, Perſas, quos pater ejus Phraortes ſubegerat, regio cum imperio tradidiſſe regendos *Dario* filio, quem Daniel IX, 1. vocat, ut conjicit, *Darium, filium Aſſueri, de ſemine Medorum.* Cyaxares autem I. habuit ſucceſſorem *Aſtyagem*, in Medorum Regno, quem exuit Cyrus; *Darius* verò, qui & Aſtyages dictus, avus Cyri, *Cyaxarem.* Vide *Marſhamum* ad Sæculum XVIII. Sed multa obſtant, quominùs ei adſentiamur, licèt alioqui, hoc in negotio, nihil fermè præter conjecturas poſſe adferri fatendum ſit.

3426. 558. LV, 3. 196.

Cræſus, ultimus Lydorum Rex, regnat annis XIV, vivo etiamnum patre, ut exiſtimat *Petavius.*

Hoc tempore floruerunt Poëtæ *Ibycus*, *Simonides*, & *Steſichorus*, ac Philoſophus *Anaximenes.*

A. M. *A. C. N.* *Olymp. U. C.*
3429. 555. LVI, 2. 199.

Mortuo Neriglissore patre, Baltassar mensibus IX. imperavit solus, quibus exactis, à factione *Nabonidi*, seu, ut existimat *Petavius*, *Darii Medi*, interfectus est, eique successit Nabonidus, vel Darius Medus.

Hac ætate, vixerunt *Xenophanes* Colophonius Philosophus, & *Theognis* Poëta γνωμολόγος.

Phalaris, Agrigentinus tyrannus, tunc etiam floruit. Dicitur quidam *Perillus* ei ex ære conflasse taurum concavum, quo includebat vivos homines; quibus, igne suppositò, clamantibus, videbatur taurus mugire. Primus, in quo sumtum est rei experimentum, fuit ipse faber Perillus, de quo *Ovidius*, Lib. I. de Arte amandi, postquàm dixit *Busirin* eum interfeciisse, qui primus ipsum docuit, hospitum sanguine Deos placari:

Et Phalaris tauro violenti membra Perilli
Torruit, infelix imbuit auctor opus.
Justus uterque fuit; neque enim Lex æquior ulla est,
Quàm necis artifices arte perire suâ.

De ætate & Epistolis Phalaridis multis egerunt contrariasque sententias tulerunt viri doctissimi, hinc *Carolus Boylæus* & *Henr. Dodwellus*, qui eas defendunt; illinc *Ricard. Bentleius*, qui suppositas contendit.

3440. 544. LIX, 1. 210.

Crœsus, Lydiæ Rex, profectus est contra Persas, seu Medorum & Persarum exercitum, cui Cyrus Persa imperabat; dum sperat se victorem rediturum, delusus ambiguitate oraculi:

Κροῖσος

A. M. *A. C. N.* *Olymp. U. C.*

Κροῖσος Ἅλυν διαβὰς μεγάλην δύναμιν καταλύσει.

Crœsus Halyn penetrans magnam pervertet opum vim.

Superato enim flumine Haly, victus est à Cyro; & postea, expugnatis Sardibus, captus, ac in captivitatem abductus, tota Asia Cyro cessit.

Paullò pòst, florebat *Anaximander* Milesius, qui Zodiaci obliquitatem reperit; & *Pherecydes* Scyrius (non Syrius, aut Syrus, neque enim ex Syria ortus erat, sed ex Insula Scyro) Pythagoræ præceptor, quos haud longo intervallo sequuti sunt *Hipponax* & *Hippicus* Poëtæ.

Hisce temporibus, in ultima Asia, apud Seras, vivebat *Confu-cu*, præstantissimus Philosophus; de quo vide *Mart. Martinium*, in Hist. Sinica, Lib. IV. & *Philip. Coupletium*, in Procœmio in *Confucium*.

Haud multò post Crœsi cladem, cum *Harpagus*, Cyri nomine, Minorem Asiam regeret, Phocæi ejus imperii pertæsi, Asiâ relictâ, in Galliam navigarunt; ubi circa locum, ubi nunc est Massilia, sedes elegerunt, eamque urbem condiderunt.

3446. 538. LX, 3. 216.

Hoc anno *Cyrus*, subactis Regis Babylonis sociis, in ipsam Babylonem contendit, quam cepit; atque à Cyaxare avunculo, qui brevi postea fato functus est, accepit præmium filiam unicam Mandanen; quâ ductâ, omnium Regnorum Cyaxaris heres factus est, ac initium dedit Monarchiæ Persarum, quæ parem antea non habuerat.

Ad hujus usque tempus, vixit Daniel Propheta, qui in Babyloniam à Nabuchodonosore abductus

fuerat. Sub ultimo Babyloniorum Rege Nabonido, ſeu Dario Medo, revelatæ illi ſunt LXX. Hebdomades; quibus elapſis, Meſſias venturus erat, ut poſtea videbimus.

VIII. EPOCHA, *Reditus Judæorum.*

A Reditu Judæorum ex captivitate Babylonica, ad victam Carthaginem, fluxere anni 336, *quibus conſtat*

VIII. PERIODUS.

Eodem anno ac antea.

A. M. A. C. N. Olymp. U. C.

EOdem anno, quo Cyrus regnare cœpit, Babylone expugnatâ, edicto Judæis, qui à Babyloniis Regibus captivi tenebantur, reditum in patriam conceſſit, ac Templum Jeroſolimitanum inſtaurari juſſit; cui obtemperantes Judæi, duce *Zorobabele*, in patriam magno numero redierunt, unà cum *Jeſu*, filio Joſedeki, Pontifice Maximo.

Biennio poſt, iidem jecerunt Templi fundamenta, & exſtruxerunt altare. Sed vicini Samaritæ, qui Deum Iſraëlis etiam colebant, dum fingunt ſe Judæos in eo opere adjuvare velle, & repulſam à Judæis patiuntur, ſuis calumniis apud Perſarum Regem, ne opus continuò perficeretur, obſtiterunt, Eſd. IV.

Hiſce temporibus, apud Græcos, florebant Simonides Ceus, *Anacreon* Samius, Poëtæ Lyrici, ac Xenophanes Phyſicus ac Poëta.

Hoc

A. M. *A. C. N.* *Olymp. U. C.*
3451. 533. LXI, 4. 221.

Hoc anno *Tarquinius Superbus*, ſeptimus Romanorum Rex, interfecto ſocero ſuo, regnare cœpit, & regnavit annos viginti quatuor.

Quinque poſt annis, Cyrus, cum Scythis bellum inferret, ſi *Herodoto* & *Juſtino* credimus, à *Thomyri* Scytharum Regina interfectus eſt. *Cteſias* verò prodidit eum in prælio, contra Derbicas, ſauciatum triduo pòſt fato functum eſſe, cum multa filiis *Cambyſi* & *Tanyoxari* moriens præcepiſſet. *Xenophon* certè eum placidè in ſumma ſenectute morientem, poſt regnum annorum triginta, deſcribit.

Huic ſucceſſit *Cambyſes* II. Perſarum Rex, qui annos ſeptem, menſes quinque regnavit. Mortuo Amaſi, Ægypti Rege, ejuſque loco regnante *Pſammenito*, Cambyſes Ægyptum invaſit, ubi cùm multa crudeliſſimè geſſiſſet, fratremque interea in Perſide relictum interfici juſſiſſet, tandem in amentiam incidit; nec multò pòſt ex vulnere periit.

Eo fato functo, Magus quidam, nomine *Smerdis*, corpore & vultu *Tanyoxari* ſimillimus, finxit ſe eum eſſe, & per menſes VII. regnavit. Hunc *Petavius Artaxerxem* eſſe putat, quem *Aſſuero* ſubjicit Eſdras c. IX. 7. Vide ejus, de Doctrina Temporum, Lib. XII. 27.

Circa eadem tempora, *Polycrates*, Samiorum Tyrannus, ab *Oronte* Sardium Præfecto in crucem ſublatus eſt, inſidiis ab eo circumventus; poſtquàm Tyrannidem per annos XI. ſumma cum felicitate tenuiſſet.

3463. 521. LXIV, 3. 233.

Cùm Pſeudo-Tanyoxares per menſes ſeptem latuiſſet, tandem deprehenſus, à ſeptem Perſidis

A. M. *A. C. N.* *Olymp.* *U. C.*

Principibus, conſpiratione factâ, oppreſſus eſt; ejuſque loco unus ex iis, *Darius Hyſtaſpis* filius, Rex eligitur.

Hujus anno ſecundo, Judæi impetrarunt poteſtatem inchoati operis perficiendi, & tandem poſt annos ſexdecim, denuo manum operi admovent, fruſtra adverſantibus Samaritis, qui ſemper Judæis infenſiſſimi fuere. Intra ſex annos abſolutum fuit totum Templi ædificium, & paullò pòſt Paſcha Jeroſolimæ celebratum, Eſd. VI.

Aliquot antea annis, quarto nempe Imperii Cambyſis, A. C. DXXVII. mortuo Piſiſtrato Athenarum Tyranno, ſucceſſit *Hippias*, liberorum ejus natu maximus; qui, per annos octodecim, id Imperium obtinuit. Is *Hipparchum* habuit fratrem, virum eruditiſſimum, qui dicitur *Homeri* Rhapſodias in unum volumen compegiſſe, cùm priùs ſparſæ hinc inde eſſent. Hic cum fratris tyrannidem tueretur, interfectus eſt ab *Harmodio* & *Ariſtogitone*; qui, licet ſatellitum concurſu cæſi fuiſſent, attamen ita Athenienſem populum commoverunt, ut Hippiam fruſtra reſiſtere conatum expulerit, & Piſiſtratidarum tyrannidi finem impoſuerit.

3472. 512. LXVII, 1. 242.

Haud multò pòſt, Babylonia à Dario Rege defecit; quam tamen, poſt longam obſidionem Babylonis *Zopyri* aſtu, recuperavit.

Dum hæc in Græcia atque in Aſia geruntur, Tarquinius Superbus, ultimus Romanorum Rex, propter ſtuprum à filio ejus, *Sexto Tarquinio, Lucretiæ* oblatum, Româ ejectus eſt. Continuò Imperium Regium abrogatum, & duo Conſules, loco Regum, creati ſunt. Primi Conſulatum geſſerunt *L. Junius Brutus*, & *L. Tarquinius Collatinus*, cui

cui ſe abrogare ob inviſum nomen coacto ſucceſſit *P. Valerius*, & paullò pòſt, Bruto in acie cæſo, *M. Horatius*. Seriem ſequentium Conſulum ſuppeditabit Petavius.

Circa hæc tempora *Pythagoras* Samius, *& Samon & dominos fugiens, odióque tyrannidis exſul*, in Italiam venit. Samiorum tyrannus tunc erat *Syloſon*, Polycratis frater. Hinc apparet *Ovidium*, qui Pythagoram Numæ Pompilii Præceptorem facit, in magnum Anachroniſmum lapſum eſſe. Sed ſi quis accuratiùs digeſtos videre aveat annos vitæ *Pythagoræ*, adeat diſſertationes doctiſſimorum virorum *Guil. Loydii*, Epiſcopi Vigornienſis, *Ricard. Bentleii* & *Henr. Dodwelli*, de ætate Pythagoræ.

Anno poſt Conſules Romæ creatos, *M. Valerius Poplicola*, ſecundùm Conſul, de Tarquinio & Etruſcis, ab illo in Romanos concitatis, triumphavit. Sed poſtmodum ſuſpectus plebi, propter victorias, factus legem tulit; quâ à Conſulibus & Senatu, ubi de plectendo Cive ageretur, ad Populum provocare liceret. Interea Tarquinii, in vicinis gentibus ſubſidia adverſus Romanos obnixè quærentes, *Porſennam*, Etruſcorum Regem, ut iis bellum inferret, permoverunt; in quo bello egregia Romani facinora ediderunt, atque inter alios emicuerunt *M. Horatius Cocles*, *Mutius Scævola*, & *Cloelia Virgo*; quorum præſertim virtute commotus Porſenna obſidionem, quâ Romam cinxerat, ſolvit, & pacem Romanis conceſſit. Paullò poſt, Templum Jovis Capitolini, à M. Horatio, dedicatum eſt.

Tunc temporis, Darius Scythis bellum illaturus ponte Boſporum Thracium junxit, deinde etiam Danubium; unde in Scythiam cùm trajeciſſet, maximâ exercitus parte amiſſâ, in Aſiam rediit, relicto *Megabazo*, ad Europam ſubigendam, cum octies

A. M. *A. C. N.* *Olymp.* *U. C.*

octies centies millies militibus; persuadente Hippia Athenarum Tyranno, qui optabat tyrannidem iterum, Persicarum copiarum auxilio, invadere. Megabazus quidem Thraciam & Macedoniam Regi Persarum subdidit, & Ionas devicit; sed ab Athenienſibus cladibus aliquot mulctatus est, quibus incensus irâ Darius Græcis bellum inferre decrevit.

Hisce temporibus florebant *Heraclitus* Ephesius, & *Democritus* Abderites, Philosophi celeberrimi.

Interea Romani de Sabinis & Vejentibus varias reportant victorias. Latinis etiam turbantibus, sed multis attritis cladibus societatem bello fractam reddiderunt. Volscos deinde & Æquos tumultuantes devictis aliis populis adjecerunt.

3491. 493. LXXI, 4. 261.

Verùm ipsi domi vix pacatè vivunt, plebs enim, Nobilium usuris oppressa, secessit in Montem Sacrum, trans Anienem; quasi alteram Rempublicam, sine Nobilibus, effectura; sed Romam reducta est, oratione & dexteritate *Menenii Agrippæ*. Ibi ad jura Plebis adversus Patricios tuenda, primum creati tres Tribuni Plebis, Lege, quæ sacra dicta est, quibus postea duo additi sunt. Horum Magistratuum sacrosancta erat potestas, nec ulla Lex, vel uno intercedente, ferri poterat.

Dum hæ concertationes Romæ essent, Darius apertè Græcis bellum intulit, & *Mardonius* ejus gener primùm quidem Tyrannos ex Ioniæ civitatibus sustulit, Thraciamque & Macedoniam, quæ jugum Persarum excusserant, iterum domuit.

Tandem

A. M. *A. C. N.* *Olymp.* *U. C.*

3494. 490. LXXII, 3. 264.

Tandem in Græciam ingreſſus conflixit, ad *Marathonem* oppidum Atticæ, cum Athenienſibus & Platæenſibus; qui, duce *Miltiade*, cum decem millium numerum non ſuperarent, trecenta Barbarorum millia devicerunt. Paullò pòſt Darius, dum novam expeditionem parat, ad plures abiit.

Hac tempeſtate floruit *Æſchylus* Athenienſis, Poëta Tragicus, & natus eſt *Sophocles* popularis ejus, illo eadem in Poëſi ſuperior. Athenienſes, ſuaſu *Themiſtoclis*, exſtruxerunt *Piræeum*, *Gelo* Syracuſis Tyrannidem occupavit.

Romæ *C. Marcius Coriolanus* in exſilium miſſus, Volſcos adverſùs Patriam concitat, & eorum factus Imperator, Romam obſidet, quam, cùm expugnare poſſet, matris lacrimis emollitus reliquit.

3498. 486. LXXIII, 3. 268.

Sp. Caſſius, tertiùm Conſul, primus Legem Agrariam tulit, de agro Hernicorum devictorum Latinis & Romanis dividendo; ſed ſequente anno, ob adfectatam tyrannidem, è Tarpeia rupe præceps datus eſt.

3500. 484. LXXIV, 1. 270.

Dum Romani cum Volſcis, Vejentibus, & Æquis finitimis Gentibus bellum gerunt, Dario mortuo ſuccedit *Xerxes* IV. Perſarum Rex, qui Imperium tenuit per XX annos; & anno quidem Imperii quarto, Græcis bellum intulit. Ponte juncto Helleſponto, terreſtres copias DCCCM, militum trajecit. Navales conſtabant pluſquàm MCC navibus; ſed ab Athenienſibus præſertim, duce *Themiſtocle*, navali ad Salaminem prælio devictus eſt; & exercitui terreſtri, mirâ audaciâ, trecenti Spartani, duce *Leonida*, paullò antea reſiſtere auſi ad

Ther-

Thermopylarum fauces, fortiſſimè pugnantes ad unum omnes cæſi ſunt. At ingens ille exercitus anno ſequente prorſus eſt fuſus, ad urbem Bœotiæ Platæas, imperantibus Perſis Mardonio, Græcis verò *Pauſania* & *Ariſtide*.

Hiſce temporibus florebant *Pindarus* Poëta & *Anaxagoras* Philoſophus.

3507. 477. LXXV, 4. 277.

Cæſo Fabius, qui cum ſola familia Fabiorum, quæ CCCVI puberum erat, & quatuor millibus clientium, bellum adverſus Vejentes ſuſceperat, ad fluvium Cremeram ab iis oppreſſus eſt, & totus exercitus deletus, de quo *Ovidius* in Faſtis:

Una dies Fabios ad bellum miſerat omnes,
Ad bellum miſſos perdidit una dies.

Verùm multa hîc ineſſe falſa, ut quod in tanto puberum numero unus fuerit impuber, oſtendit *Dionyſius* Halicarnaſſeus, & rem pluribus pertractavit v. c. *Jac. Perizonius*, in Obſerv. c. v.

Hoc tempore Sicilia à *Gelone* & *Hierone* Syracuſarum tyrannis, *Therone* Agrigentino, & Carthaginienſibus, qui eam occupare conabantur, variè vexabatur.

3510. 474. LXXVI, 3. 280.

Artaxerxes, à patre Xerxe in Regni communionem adſcitus eſt.

Circa idem tempus Sophocles Tragœdias docere cœpit, & pauculis poſtea annis, natus eſt præſtantiſſimus Tragicus *Euripides*. Floruit quoque eodem ævo Hiſtoricorum Græcorum, qui ſuperſunt, antiquiſſimus, *Herodotus* Halicarnaſſeus.

Cimon

A. M. *A. C. N.* *Olymp. U. C.*
3514. 470. LXXVII, 3. 284.

Cimon Miltiadis filius, Athenienſium claſſi præfectus, plurimas Aſiæ urbes Perſis eripit, eoſque CCCXL navibus inſtructos, cum ipſe CCL tantùm haberet, vincit; & alteram etiam de pedeſtribus eorum copiis, ad Eurymedonta Pamphyliæ fluvium, paullò pòſt reportat victoriam.

Athenienſes, eodem tempore, in Græcia cum vicinis feliciter bellum geſſerunt, Thaſioſque, Thraces, & Æginetas variis cladibus affecerunt. Lacedæmonii quoque Hilotas & Meſſenios rebellantes in ordinem coëgerunt; dimiſſo, propter ſuſpicionem, Athenienſium auxilio.

3516. 468. LXXVIII, 1. 286.

T. Quinctius, apud Romanos, de Volſcis victoriam retulit, atque Antio capto triumphavit.

Anno ſequente, in vicina Sicilia, Hieroni mortuo ſucceſſit *Thraſybulus* frater, in Syracuſana tyrannide, ſed expulſus à Syracuſanis Locros exſulatum abiit; atque ab eo tempore, Syracuſani liberi feliciter, ad *Dionyſium* uſque, egere per annos LX.

3519. 465. Ejuſd. 4. 289.

Artabanus Hyrcanus Xerxem interficit, & apud Artaxerxem, quem antea Xerxe participem imperii factum eſſe diximus, paternæ cædis *Darium* fratrem accuſavit; quo morti damnato, Artaxerxes ipſe ab Artabano vulneratur, ſed eum poſtea interficit. Igitur Artaxerxes μακρόχειρ, *longimanus*, hoc anno ſolus regnare cœpit, & regnavit per annos XL.

Ad hunc Themiſtocles exſul confugit, quem benigne exceptum muneribus cumulavit. Idem Artaxerxes Judæis impenſè favit, & anno Regni

vige-

A. M. *A. C. N.* *Olymp.* *U. C.*

vigesimo permisit *Nehemiæ* mœnia Jerosolimæ instaurare, cum Cyrus tantum Templi instaurationem concessisset. Id operis, brevissimo tempore, Nehemias, frustra renitentibus Samaritanis, Ammonitis, & Arabibus vicinis, perfecit.

3522. 462. LXXIX, 3. 292.

Interea Romæ, post varios Plebis tumultus, quæ Nobilitatis imperium ferre non poterat, lata est Lex *Terentia* de *Quinqueviris*, tam ex plebeiis, quam patriciis familiis, Consulari potestate creandis.

Secundo pòst hæc anno *Ap. Herdonius* Sabinus, cum quatuor millibus exsulum & servorum, Capitolium occupavit; sed brevi, opem ferentibus præ ceteris Tusculanis, ejectus est. Inde variis cladibus Populus Romanus Sabinos & Æquos affecit, & cùm quidem *Minucius* cos. re ignave gestâ, ab Æquis in castris suis obsideretur; *Quinctius Cincinnatus*, ab aratro ad Dictatoris munus vocatus, Æquos devictos sub jugum misit.

Hoc ipso tempore Athenienses, *Leocrate* duce, Corinthios & Epidaurios vicerunt sæpiùs, ut & Æginetas, ac Megarensibus præsidium imposuerunt. Postea etiam, *Myronide* duce, Lacedæmonios profligarunt, atque ex hisce scintillis accensum est postea Peloponnesiaci belli incendium.

3530. 454. LXXXI, 3. 300.

Ab hoc anno, *Petavius* LXX Hebdomadum Danielis initium ducendum esse existimat. Vide Lib. XII de Doct. Temp.

Hoc eodem anno, abrogatâ Lege Terentiâ de Quinqueviris, Legati tres missi sunt in Græciam, ad cognoscendas Græcorum, & præsertim Athenienſium Leges, ut earum ope emendarentur Leges

ges Romanæ. Legatis triennio poſt reverſis, & abrogatis Tribunis Plebis, ac Conſulibus, ſunt Decemviri conſtituti, qui Leges Reipublicæ ſcriberent; & qui primò quidem *decem Tabulis* eas complexi ſunt, quibus poſtea duæ additæ effecerunt celeberrimas illas *duodecim Tabulas*, quæ totius Romani juris ſunt fundamentum.

Ab hoc Magiſtratu, per biennium & paullò ampliùs, adminiſtrata Reſpublica ad priſtinam formam rediit, hac occaſione: Cum impotenter Decemviri ſe eo in munere gererent, & *Appius Claudius Virginiam* ingenuam puellam, ſpe eâ potiundi, in ſervitutem conjeciſſet; *Virginius* pater virginis eam occidit, plebem commovit, & effecit, ut iterum, abjecto Decemvirorum imperio, Tribuni Plebis & coss. eligerentur.

Dum hæc Romæ gerebantur, *Nehemias* ex Chaldæa redux, unà cum Sacerdote Eſdra, emendabant Judæorum mores corruptos, & Legis Moſaicæ obſervationem urgebant. Ab hoc tempore, Judæi cœperunt Libros Sacros colligere, atque ex iis conflare volumen, quod etiamnum hodie habemus. Cùm porrò Judæi in Babylonica Captivitate Hebraicæ Linguæ & Hebraicæ Scripturæ obliti fermè eſſent, antiqui Libri Aſſyriacis characteribus exarati ſunt; & quod Hebraicè in Scripturis legebatur, Chaldaicè exponebatur populo. Vide *Lud. Capellum*, de Litteris Hebr. Samaritæ verò, cùm accepiſſent Legem Moſis, antequam Phœniciorum, ſeu Veterum characterum uſus obſoleſceret, eos conſervarunt; unde factum, ut ad nos Pentateuchus, priſcis litteris ſcriptus, pervenerit. Sunt etiamnum hodie eorum reliquiæ in monte Garizim.

Hoc ævo Herodotus, quem Græci Parentem Hiſtoriæ vocant, libros ſuos edidit; cùm jam, ab Abrahamo dumtaxat initio ſumto, exſtaret Hiſto-

A. M. A. C. N. *Olymp.* *U. C.*

ria Hebræorum quindecim sæculorum. Videtur nihil dixisse de Hebræis, quia tunc Judæa, longâ incolarum absentiâ, adhuc squalebat, & res Judæorum exiguæ erant; præterquàm quòd Græcorum intererat tantùm eas nosse Gentes, quibuscum aliquod ipsis intercedebat commercium.

Artaxerxes Persarum Rex, variis cladibus à Græcis, Athenienſibuſq; præsertim, quorum dux erat Cimon, affectus, ignominiosam pacem cum iis inire coactus est, hisce inter alias legibus: Ut Asiæ urbes maritimas liberas relinqueret: Ut ne ad mare propius accederet eo spatio, quod equus unus decurrere sine intermissione potest: Ut ne intra *Cyaneas* & *Chelidonias* insulas longâ navi veheretur.

Dum communem hostem vincunt Athenienses, sibi vicinorum, & præsertim Lacedæmoniorum invidiam crearunt; unde re in apertum bellum erumpente, Lacedæmonii à *Pericle* & *Tolmide*, Athenienſium ducibus, sæpe prælio victi sunt. Tandem induciæ XXX annorum utrimque factæ, quas tamen neutri observarunt.

Hisce temporibus, *Melissus*, *Empedocles*, *Parmenides*, *Zeno Eleates*, & ceteris omnibus Philosophis anteferendus SOCRATES, florent, unà cum Oratoribus *Gorgia*, *Prodico*, *Lysia*; Sophocle verò, *Aristophane*, & *Euripide* Poëtis.

3540. 444. LXXXIV, 1. 310.

Tribuni Militum, Consulari potestate, hoc anno plebe tumultuante, primum creati sunt; sed cum deprehensum esset vitio factos, iis, tertio post mense, Consules sunt suffecti. Anno verò sequente, Censores Quinquennales primùm etiam creati sunt, qui moribus Urbis summa cum potestate præessent. Haud multò pòst *Sp. Melius*, cùm

ingens

A. M. *A. C. N.* *Olymp. U. C.*

ingens esset Romæ fames, ita ut multi se præcipites in Tiberim darent, frumento plebi diviso, ad regnum viam affectabat: sed creato Dictatore *L. Quinctio*, interfectus est, Dictatoris jussu, à *C. Servilio Ahala*. Sequentibus annis, Romani de Vejentibus & Etruscis multas reportarunt victorias, præsertim sub auspiciis *Mamerci Æmilii*.

Interea in Græcia varii motus excitantur; Athenienses, duce Pericle, Samios deficientes semel atque iterum ditioni suæ subjiciunt; & cum haud multò pòst, ut auctor est *Thucydides*, Lib. I. bellum inter *Corcyræos* & *Corinthios* exarsisset, à Corcyræorum legatis persuasi Athenienses cum his societatem ineunt, cujus ope superiores evadunt. Lacedæmonii Athenienſium æmuli, concione vocatâ, judicarunt inducias, ante quatuordecim annos factas, ab Athenienſibus esse violatas.

3553. 431. LXXXVII, 1. 323.

Hinc natum bellum *Peloponnesiacum*, dum Romani ab Æquis & Volscis bello impetiti, sub *A. Postumii* Dictatoris auspiciis, de iis triumphant. Hic Postumius filium, quòd contra jussum suum pugnaverat, securi percussit. Belli Peloponnesiaci hæ causæ fuere præcipuæ; nempe, quòd Lacedæmonii nimiæ Athenienſium potentiæ inviderent, & quòd Pericles VIIM. Talentorum, quæ sub ejus Magistratu absumta fuerant, rationem reddere nollet; quod speravit se obtenturum, si omnia bello turbata essent; nec spes eum fefellit, nam biennio pòst mortuus est.

In hoc bello, quod per 27 annos duravit, egregiis facinoribus illustres fuerunt *Theramenes*, *Thrasybulus*, *Demosthenes*, & *Alcibiades*, apud Athenienses; inter Lacedæmonios verò *Brasidas*, *Myndarus*, & *Lysander*, classis Spartanæ dux, qui Athe-

A. M. *A. C. N.* *Olymp. U. C.*

nas cepit, muros ejus urbis diruit, & triginta tyrannis regendam dedit. Belli hujus Hiſtoriam accuratiſſime ſcripſit *Thucydides*, Scriptor ejus ævi. Nos, omiſſis ejus circumſtantiis, alia, quæ interim contigerunt, breviter attingemus.

3558. 426. LXXXVIII, 3. 328.

Hoc anno, iterum Romæ Tribuni Militares quatuor creati infeliciter contra Vejentes pugnarunt. Electus verò Dictator Mamercus Æmilius eos cum Fidenatibus devicit, Fidenaſque ipſas cepit ac diripuit.

Anno ſequente, Artaxerxi mortuo, poſt Imperium XL annorum, *Xerxes* duobus menſibus, *Sogdianus* verò huic ſeptem, ſuccedit.

3560. 424. LXXXIX, 2. 330.

Sogdiano ſuccedit *Darius* Nothus, IX Perſarum Rex, qui regnavit annis XIX.

Romæ, anno ſubſequente, pro antiquo more, Conſules duo creati ſunt; quos ſequuti ſunt per novem annos IX Tribuni Militares, eadem poteſtate.

3568. 416. XCI, 1. 338.

Athenienſes bellum Sicilienſe in gratiam *Ægeſtanorum* & *Leontinorum*, adverſus *Selinuntios* & *Syracuſanos* ſuſcipiunt; ducibus creatis Alcibiade, *Nicia*, & *Lamacho*. Statim poſtea revocarunt Alcibiadem impietatis accuſatum, quod nocte, antequàm proficiſceretur, omnes Hermas dejici curaſſet. Alcibiades verò Lacedæmonem fugit, & Lacedæmonios incitat ad mittendas Syracuſiis ſuppetias. Hi mittunt *Gylippum*, qui tandem maximis cladibus Athenienſes affecit.

Paullò

A. M. *A. C. N.* *Olymp. U. C.*

Paullò pòst Alcibiades obtinuit, ut ab exsilio revocaretur, effecitque, ut *Tissaphernes* Atheniensibus infensus reconciliaretur, utque Oligarchia Athenis constitueretur. Quadringenti ergo sunt constituti, qui Remp. administrarent; sed qui cùm tyrannorum in morem se gererent, sublati sunt, suffectis V. M. quibus commissa est Reip. cura.

3574. 410. XCII, 3. 344.

Cùm bellum esset in Sicilia inter Syracusanos & Ægestanos, aliasque Siciliæ urbes, *Hannibal Amilcaris* nepos, *Giscónis* filius, eò missus est à Carthaginiensibus, ad quos Ægestani confugerunt. Romæ, anno sequente, tandem obtinuit Plebs, ut Quæstores tres plebeii crearentur. Volscos multis cladibus postea afficiunt Romani, intra Italiam adhuc sese continentes. Hinc etiam Tribuni Militum, per quindecim annos, Remp. obtinuerunt.

3579. 405. XCIII, 4. 349.

Hoc anno multa memoratu digna contigerunt. Cœpit in Italia Veiorum obsidio, quæ decennalis fuit. Syracusanorum verò duces ita accusavit *Dionysius*, ut tandem electus fuerit cum aliis; & cum solus postea imperaret exercitui, tyrannidem invasit, ac Carthaginienses sæpiùs victores pacem secum facere coëgit.

Darius Nothus moritur, cui succedit *Artaxerxes* filius, à Græcis μνήμων dictus, hoc est, *memor*, qui regnavit annis XL, decimus Persarum Rex.

Annus sequens fuit XXVIII belli Peloponnesiaci, quo ineunte, post sex mensium obsidionem, captæ sunt Athenæ à Lysandro, ut supra jam diximus. Triginta Tyranni ab eo Athenis constituti,

A. M. *A. C. N.* *Olymp. U.C.*

tribus pòst annis, expulsi sunt à *Thrasybulo*, qui Democratiam restituit.

3583. 401. XCIV, 4. 353.

Eodem anno, quo Athenis pulsi sunt triginta Tyranni, *Cyrus*, cui Darius pater Asiam Minorem tradiderat, bellum intulit Artaxerxi fratri, in quo periit. Decem millia Græcorum in auxiliaribus copiis erant, qui licèt ducem *Clearchum* Lacedæmonium, post fidem datam, à Persis interfectum amisissent; attamen, duce primum *Chærisopho* Lacedæmonio, deinde *Xenophonte* Philosopho & Historico præstantissimo, Athenienſi, invitis Persis, per infensissimas Gentes ab Euphrate ad Pontum Euxinum, atque inde oram ejus legentes in Græciam redierunt. Hanc Historiam ipse descripsit Xenophon, in Libris περὶ Ἀναβάσεως Κύρου.

Annus sequens luctuosus fuit, morte Socratis Philosophi incomparabilis, septuaginta annos nati, & accusati impietatis ab *Anyto* & *Melito*. Ab hoc dicti sunt Philosophi *Socratici*, qui & postea *Academici*, quorum Princeps *Plato* fuit, sed nullâ ratione Socrati conferendi.

3588. 396. XCVI, 1. 358.

Dictator creatus *M. Furius Camillus* Veios expugnat; & dum in Sicilia à Dionysio, Carthaginiensibus, & Siculis Civitatibus, omnia bellis miscerentur, *Agesilaus* Lacedæmoniorum Rex cum *Nephreo* Ægypti Rege, inito fœdere, multas de Persis reportat victorias; sed brevi postea revocatus, cum Bœotis, eorumque sociis, ancipiti eventu pugnat; nec impedire potest, quo minùs Lacedæmonii maris dominatu excidant, *Conone* Athenienſe, Persarum classis præfecto, variis eos afficiente cladibus.

Hoc

A. M. *A. C. N.* *Olymp. U. C.*

3591. 393. XCVI, 4. 361.

Hoc anno, Romæ electi sunt Consules, ut & anno sequente. Sed exinde per 25 annos creati sunt Tribuni Militares, aut nulli fuerunt Romæ summi Magistratus.

Tertio post creatos coss. anno, cum Reipub. præessent sex Tribuni Militares, Gallis Cisalpinis Clusinos obsidentibus, hi ad Romanos confugerunt, & tres impetrarunt Legatos ex Fabiorum Gente; qui, cùm nihil apud Gallos efficere potuissent, auctoritate suâ, adversùs eos supplicibus in acie adfuerunt. Galli, illicitâ Legatorum audaciâ permoti, rectà ad Urbem contendunt, Romanos ad Alliam occurrentes ingenti prælio vincunt, Romámque excepto Capitolio invadunt. Sed dum negligentiùs se gererent, à Camillo antea in exsilium missо, tumultuariis collectis copiis, funduntur, & agro Romano expelluntur.

At *M. Manlius*, qui à Capitolio liberato *Capitolinus* dictus fuerat, dum creditur viam ad regnum, liberalitate erga eos, qui alieno ære obstricti erant, affectare, è Tarpeio saxo dejectus est.

3607. 377. C, 4. 377.

Cùm Lacedæmonii Græcas Civitates opprimere conarentur, & Thebanorum arcem *Cadmæam* tenerent fraude occupatam, Thebani eorum jugum excutiunt, adjuvantibus Athenienſibus, unde bellum Bœoticum ortum; quo post varias pugnas, varioſque belli eventus, à Bœotiis ducibus, *Pelopidâ* præsertim & *Epaminonda*, ad incitas ferè redacti sunt Lacedæmonii, & principatum Græciæ amiserunt. Inde perpetua bella inter Græciæ urbes fuerunt.

Artaxerxes verò Persarum Rex, in Ægyptum bellum moturus, eas cùm eo tempore, tum etiam

postea,

A. M. *A. C. N.* *Olymp. U. C.*

poſtea, fruſtra ad pacem hortatus eſt; expeditio vero in Ægyptum, ducibus *Pharnabazo* & *Iphicrate*, prioris nimiâ cunctatione, irrita fuit.

3618. 366. CIII, 3. 388.

Hoc anno, Artaxerxi Mnemoni fato functo ſucceſſit XI Perſarum Rex *Ochus*, quem Aſſuerum Eſtheræ maritum eſſe putat *Lud. Capellus*, in Chronol. Sacra. Certè duabus prioribus ſyllabis vocis אחשורוש, *Achaſveros*, haud malè convenit cum voce Ὦχος. Sed fuiſſe Artaxerxen *Longimanum* credibilius eſt. Qua de re dixi ad Eſtheræ C. I, 1. Hic, ſecundùm *Euſebium*, regnavit annis XXVI.

3621. 363. CIV, 2. 391.

Cùm ingens Romæ graſſaretur peſtilentia, Dictator, pro antiquo more, *L. Manlius Imperioſus*, ad clavum pangendum creatus eſt. Hic filium habuit *Titum Manlium*, quem rus ablegarat; ubi cùm eſſet, audivit à *M. Pomponio*, Trib. Pl. patri dictam fuiſſe diem. Tunc in urbem reverſus, ſtricto gladio, coëgit Tribunum ad ejurandam accuſationem, quo facinore plebis ſibi favorem conciliavit. Hoc eodem anno, qui peſtilentiam ſequutus eſt, cùm in foro vorago quædam ſe aperuiſſet, *M. Curtius* vivum ſe in eam conjecit. Inde Romani aliquot de Gallis retulerunt victorias.

Interea in Græcia Thebanorum potentia mirum in modum, Epaminondæ virtute, creſcebat; ſed cùm in Mantinæenſi pugna, quâ Lacedæmoniorum & Arcadum exercitum devicit, ex vulnere interiiſſet, Reſpublica illa unà cum eo concidit. Leuctra was preceded the Battle of Mantinea was most fatal to the Lacedæmonians &c. Ellis. In

A. M. *A. C. N.* *Olymp. U. C.*

In Asia, Satrapæ à Persarum Rege defecerunt, conspiratione factâ; sed proditi ab *Oronte*, *Mysiæ* Satrapa, brevi in ordinem redacti sunt. *Thachos*, Ægypti Rex, qui magno Regi tributum pendebat, simul ab eo defecit, adjutus à Lacedæmoniorum Rege Agesilao; quem pedestribus copiis præfecit, dum classi præerat Atheniensis *Chabrias*. At filius Thachonis *Nectanebos*, relicto Patre, ad Persas confugit, rediensque cum Persico exercitu patrem, unà cum Agesilao, Memphi obsidione clausit. Sed Agesilaus, eruptione factâ, Persas fudit; ac brevi postea in Græciam rediturus, cùm in Cyrenaica esset, mortuus est.

3625. 359. CV, 2. 395.

Hoc anno obiit ab Illyriis interfectus *Perdiccas* Macedonum Rex, cui successit *Philippus Amyntæ* filius; qui brevi tempore multas de Athenienſibus, Pæonibus, & Illyriis reportavit victorias.

Hisce temporibus res Judæorum exiles erant, sed, sub præfectis Persarum, tranquillè agri videntur culti; quod nihilominùs non obstitit, quo minùs ingens Judæorum copia, qui ante vel post captivitatis reditum, in Ægypto sedes posuerant, ab Ocho Rege transferretur in Hyrcaniam.

3627. 357. CV, 4. 397.

Dum varia inter Græcos geruntur bella, quæ omnia videntur in utilitatem solius Philippi Macedoniæ Regis desiisse, *Dionysius* II. Syracusanorum tyrannus (qui Patri cognomini successerat, post regnum XXXVIII annorum, undecimo ante hæc gesta anno) à *Dione* imperio orbatus est, dum Syracusis abesset. Duæ onerariæ naves, mercenario milite instructæ, everterunt imperium instructum

A. M. *A. C N.* *Olymp. U. C.*

ſtructum navibus longis CCCC, peditibus CM, equitibus XM.

Interea Philippus vicinos Reges tres, Thracum, Pæonum, atque Illyriorum ſubigit, & anno ante Chriſtum CCCLVI ex Olympiade uxore filium ſuſcipit *Alexandrum*, eo ipſo die, quo Templum celeberrimum Dianæ Epheſiæ conflagravit. Quam in rem concinnè dixerat *Timæus*, in Hiſtoria, *minimè id eſſe mirandum, quòd Diana, cùm in partu Olympiadis adeſſe voluiſſet, abfuiſſet domo*; ut habet *Cicero* de Nat. Deorum, Lib. II. c. 27.

Paullò pòſt, ortum eſt in Græcia *Bellum Sacrum*, quod Thebani & Locri adverſùs Phocenſes ſuſceperunt, quòd hi partem aliquam agri ſacri occupaſſent; & poſtea Apollinis Delphicum Templum, *Philomelo* auctore, diripuiſſent. Huic bello, poſt octennium, Philippus, everſis Phocenſium urbibus, finem impoſuit.

3633. 351. CVII, 2. 403.

Artaxerxes Ochus adverſùs Phœnicas & Cyprios, qui ab eo defecerant, miſit exercitum; & Cyprios quidem operâ *Idriei* Cariæ Principis, *Phocionis* Athenienſis, & *Evagoræ*, qui Cyprum ejus nomine tenuerat, ſubegit; *Tennes* verò, Sidoniorum Rex, acceptis à Nectanebone, Rege Ægypti, Græcis mercenariis, ſe aliquamdiu defendit; ſed mox, pace initâ cum Rege, interfectus eſt. Sidonii verò, præ deſperatione, ſe, ſuoſque omnes, incenſâ urbe, communi incendio abſumſerunt. Hinc novæ Tyri opes videntur creviſſe, quippe quæ Alexandri ævo potentiſſima fuerit, cùm res Sidoniorum minimè florerent.

Nectanebos ipſe ab Ocho, opitulante præſertim Thebano exercitu, Ægypto pulſus, in Æthiopiam fugere coactus eſt.

Qua-

A. M. *A. C. N.* *Olymp.* *U. C.*

Quadriennio pòst, Dionysius recuperavit Syracusas, decimo anno, postquàm eas amisisset; sed paucis postea annis, cùm Syracusani ducem obtinuissent à Corinthiis *Timoleontem*, qui Regnum affectantem fratrem *Timophanem* interfecerat, tyrannide deturbatus, Corinthum petiit, ubi dicitur Ludimagister factus, eâ arte vitam sustentasse. Idem Timoleon multis cladibus Carthaginienses affecit.

Hoc temporis tractu, Romani plurium Dictatorum & Consulum auspiciis, quorum series ex Petavianis Tabulis peti poterit, multas de Gallis, Samnitibus, aliisque vicinis gentibus reportarunt victorias; sed maximum discrimen subierunt in bello sociali, quod cum Latinis gesserunt; in quo *T. Manlius* securi percussit filium, quòd provocatus singulari certamine hostem vicisset, cùm ne quis ordinibus exiret, interdictum fuisset. Alter Consul P. *Decius Mus* se pro exercitu devovit; ritu Romanis in summis periculis usitato.

3644. 340. CX, 1. 414.

Artaxerxi Ocho, Persarum Regi, successit Rex XII. Persarum *Arses*, qui regnavit annis quatuor.

Hoc tempore florebant *Isocrates*, *Demosthenes*, & *Æschines*, Athenienses Oratores, & Philosophus *Anaxarchus*. *Epicurus* anno ante Ochi mortem natus est. Prætermittendus non est *Aristoteles* Stagirita, *Platonis* discipulus, & Peripateticæ sectæ princeps.

Philippus, post multos felices eventus, Athenienses & Bœotos ad Chæroneam vicit, quo in prælio *Alexander* ejus filius, XVIII annos natus, fortissimè se gessit. Postea Philippus à Græcis omnibus Dux belli contra Persas constitutus est; sed anno

A. M. *A. C. N.* *Olymp.* *U. C.*

anno ſequente, à *Pauſania* interfectus eſt, poſtquàm per XXIV annos regnaviſſet.

3648. 336. CXI, 1. 418.

Bagoas Eunuchus, qui Ochum interfecerat, Arſemque ſolio impoſuerat, huic deturbato ſubſtituit *Darium Codomannum*, *Arſami* filium, Darii Nothi pronepotem. At cùm Darium voluiſſet veneno tollere, Darius eum haurire calicem, quem paraverat, juſſit.

Interea Alexander, Philippi F. Græcorum adverſùs Perſas Imperator electus eſt, & cùm Thebani ab eo defeciſſent, ex Thracia, ubi bellum tunc gerebat, advolans Thebas obſeſſas cepit, & ſolo æquavit captas; exceptis pauculis ædibus, inter quas erant ædes Pindari & Epaminondæ. Inde ſequente anno, exercitum in Aſiam trajecit, & Imperium Perſarum evertit. Res geſtas ejus pleraſque ſilentio prætermittemus, quippe quæ facili negotio ex *Curtio* peti poterunt.

3652. 332. CXII. 1. 422.

Alexander, captâ Tyro, Jeroſolimam contendit, ultionem ſumturus de Judæis, qui ei eam urbem obſidenti auxilia mittere detrectaverant; ſed placatus à *Jaddua*, Pontifice Maximo, qui ſacerdotalibus veſtibus ornatus, ei obviam ivit, cum toto populo candidis veſtibus induto, victimas pro ſe offerri juſſit, & plurima jura Judæis conceſſit. Hiſce etiam temporibus turbas excitavit *Manaſſes Judduæ frater*, cùm *Sanaballati Samaritani* filiam, quam contra Legem conjunxerat ſibi matrimonio, dimittere nollet, coactus fugere Samariam. Huic ut liceret condere in Garizitano monte, Templum Jeroſolimitano ſimile, Sanaballatus, ſocer, qui gratiâ valebat apud Darium, qui eum regioni

A. M. *A. C. N.* *Olymp. U. C.*

regioni præfecerat, a Rege obtinuit. Idem Sanaballatus, cùm prosperum Alexandri rerum successum videret, ei Tyrum obsidenti, deficiens à Dario, auxiliares copias misit; quo facto sibi Alexandri favorem conciliavit.

Inde Alexander, in pugna ad *Arbela*, Darium planè fudit; qua ex clade vix elapsum, à *Besso*, Bactrianorum Satrapa, interfectum perhibent. In hoc Rege, Persarum Monarchia desiit, post ducentorum præter propter annorum durationem.

Dum Asiam Superiorem Alexander Macedo Imperio suo subdit, *Alexander*, Epiri Rex, ejus avunculus, varia in Italia gerit bella, ubi tandem occumbit. Ferunt eum Sororis filii bella cum suis conferentem, dixisse, Macedoni cum fœminis, sibi cum viris rem esse.

Romani interea cum Gallis & Samnitibus, vario eventu, certant; sed tandem, præliis quibusdam superati, bello vincunt.

3660. 324. CXIV, 1. 430.

Alexander totâ ferè Asiâ armis partâ, Babylonem reversus obiit, post regnum annorum XII, mensium VII, die 22 Junii. Nullum successorem designare voluit, sed ejus imperium in varias Satrapias divisum, perpetuis hinc bellis discerptum est. Tandem ex dissidiis hisce emersere duo potentissima Regna, *Seleuci Nicanoris* in Syria, *Ptolemæi Lagi* filii in Ægypto; unde prognatæ *Seleucidarum* & *Lagidarum* Regum series, quas Petavianæ Tabulæ suppeditabunt.

3661. 323. 2. 431.

Græcorum mercenariorum VIIIM. ante aliquot annos ab Alexandro dimissa, electo duce *Leosthene* Athenienſe, mortuo Alexandro, ad li-

A. M. *A. C. N.* *Olymp. U. C.*

bertatem Græciam revocant; *Antipatrumque* Græciæ Præfectum vincunt, & Lamiam Theſſaliæ oppidum fugientem obſident. Hac in obſidione ſaxo percuſſus Leoſthenes periit, eique orationem funebrem dixit *Hyperides*, Demoſthene tunc exſulante, propter acceptam ab *Harpalo* pecuniam. Verùm, eo anno ſequente revocato, Macedones adverſùs Græcos, & præſertim Athenienſes, ſummâ vi bellum inſtaurarunt; iiſque devictis *Munichiæ* præſidium impoſuerunt, & Demoſthenem Athenis iterum fugere coëgerunt. Hic in Calauria inſula veneno ſibi mortem conſciſcit, Novembris die decimo.

Dicitur eodem anno mortuus Ariſtoteles, annos natus LXIII. Paulò pòſt, *Demades* Orator, nomine Athenienſium, petens ab Antipatro, ut Munychiâ præſidium deduceret, unà cum filio interfectus eſt.

3663. 321. CXIV, 4. 433.

Dum variè inter ſe certant Alexandri ſucceſſores, Romani Coss. *T. Veturius Calvinus*, & *S. Poſtumius*, ad *Furcas Caudinas* victi, ſub jugum miſſi ſunt; ſed anno ſequente, *L. Papirii Curſoris* auſpiciis, vicem Samnitibus rependerunt.

Tribus pòſt annis *Agathocles*, Carcini Rheginenſis civis adſcriptitii filius, figlinam à patre primùm edoctus, ſed poſtea militiam ſequutus, & ſæpiùs dux Syracuſanorum electus, tyrannidem occupavit. Inde multa in Sicilia bella cum Meſſeniis & Syracuſanis, & in Africa adverſùs Carthaginienſes, geſſit.

Circa hæc tempora, *Demetrius Phalereus* ad Ptolemæum Ægypti Regem Athenis fugit, qui eum Bibliothecæ, quam ingentem comparaverat, præfecit. Quo ævo, etiam floruit *Demetrius Poliorcetes*,

A. M. *A. C. N.* *Olymp. U. C.*

orcetes, qui non eſt cum priore confundendus. Prior Demagogus fuit Athenienſis, alter *Antigoni* filius, qui tunc Græciam aliaſque regiones obtinebat.

Tunc etiam vixit *Arceſilaus*, Academiæ recentioris princeps, Pitane Æolidis oppido oriundus. Suppares ei fuerunt *Epicurus*, Gargettiâ tribu Atticâ ortus, & *Philemon*, ac *Menander*, Poëtæ Comici, quorum fragmenta edidimus.

Romani interea cum Etruſcis, Samnitibus, & Gallis, bellum gerunt.

Apud Judæos, initio Monarchiæ Seleucidarum & Lagidarum, omnia quieta fuerunt; Seleuco eis jus civitatum omnium Syriæ concedente, Ptolemæo verò eos in Ægypto ſingularibus juribus ornante.

Hoc tempore floruerunt *Crates* & *Theophraſtus* Philoſophi.

3695. 289. CXXII, 4. 465.

Agathocles, poſtquam regnum Syracuſarum, aliarumque vicinarum urbium Siciliæ & Italiæ, per XXVIII annos tenuiſſet, atque ex ingentibus calamitatibus evaſiſſet, veneno ſublatus eſt ab *Archagatho*; qui ſimul patrem ſuum *Agathoclem*, Agath. filium, ſucceſſorem deſignatum à ſeniore Agathocle, interfecit. At ipſe tyrannidem tenere diu non potuit, paullò pòſt occiſus à *Mænone*. Quo factum, ut liberi fierent Syracuſani.

Dum Alexandri comites, eorumque filii variè inter ſe concertant, innumeriſque ſceleribus gloriam antea partam fœdant; Romæ Plebs, ære alieno oppreſſa, in Janiculum ſeceſſit, ſed à *Q. Hortenſio* Dictatore placata rediit.

A. M. *A. C. N.* *Olymp. U. C.*
3699. 285. CXXIII, 4. 469.

Ptolemæus, Philadelphus κατ' ἀντίφρασιν ab Alexandrinis dictus, Ptolemæi Lagi & Berenices Filius, ſuperſtite patre, regnare cœpit, regnavitque annos XXXVIII. Hoc eodem anno, aut præcedente, facta eſt tranſlatio Legis Moſaicæ in Græcam Linguam à Septuaginta, ut aiunt, Senibus à *Philadelpho*, & fortè etiam ejus patre convocatis; de qua Tranſlatione varia jactantur fabuloſa, de quibus eruditè ſcripſit *Humphredus Hodius*, in Diſſert. contra Hiſt. *Ariſteæ* de LXX Int.

Statim ac Philadelphus ad Regnum pervenit, & pater ejus fato functus eſt, minui cœpit gratia Demetrii Phalerei; & tandem in exſilium actus eſt, anno ſecundo Philadelphi, quo Lagides interiit, ubi aſpidis morſu interfectus eſt: Offenderat Philadelphum, quòd Lagidæ auctor fuerat, ut ſucceſſorem ſibi aliquem ex *Eurydices* alterius uxoris filiis, non Philadelphum *Berenices* filium, relinqueret. Itaque hic non videtur emendaſſe, ut quidam volunt, Tranſlationem LXX viralem, quæ immane quantùm ab Atticiſmo abit.

Non memoramus hîc bella & diſſidia ſucceſſorum Alexandri, imò nec eorum nomina; ſed nefas ducimus indictum prætermittere *Pyrrhum*, Epirotarum Regem.

3703. 281. CXXIV, 4. 473.

Cùm Tarentini Romanorum claſſem primùm diripuiſſent, legatoſque de injuria queſtum miſſos malè habuiſſent, bellum ſibi conſciverunt, in quo primùm ingenti prælio à Romanis victi ſunt.

Verùm anno ſequente, advocatus ab iis in Italiam Pyrrhus Romanos, elephantorum potiſſimùm inſolito conſpectu territos, vicit; & cùm ad eum *C. Fabricius*, de captivis redimendis, legatus miſſus eſſet,

A. M. *A. C. N.* *Olymp.* *U. C.*

esset, eos omnes absque ullo redemtionis pretio reddidit. Deinde ipse *Cyneam* legatum Romam misit, ad ineundam pacem. Sed *Appius Cæcus* obstitit, commissoque iterum adversùs eum prælio, dubio eventu pugnatum; quo tamen factum est, ut Pyrrhus Italiâ excedere coactus fuerit. Inde in Siciliam trajecit exercitum, ubi contrà Carthaginienses primùm quidem feliciter rem gessit; verùm, cùm brevi inciperent res ejus in ea insula collabascere, in Italiam ex improviso regressus, à Romanis victus & castris exutus Italiam, relicto præsidio in arce Tarentina, deseruit.

In hisce expeditionibus sex annos frustra consumsit. In Epirum redux Macedoniam populari cœpit, & paullatim post reportatam de *Antigono* victoriam, totam occupavit. Secundo post hæc anno, *Cleonymus* Lacedæmonius eum in Laconicam vocavit, ut sibi adjutor esset, ad regnum fratri *Ario* eripiendum. Venit, & fermè Spartâ potitus est; sed tandem inde pulsus Argos obsidere cœpit, & in urbem ipsam ingressus, à muliere illisu tegulæ peremtus est.

Dum Pyrrhus in Italia esset, Galli, *Brenno* duce, Macedoniam, aliasque Græciæ oras populati sunt. Sed cùm Delphos oppugnare aggressi essent, dicuntur inde terræ motu, fulminibus, aliisque portentis expulsi. Brenno paulò pòst ex vulneribus mortuo, *Comontorio* duce, Thraciam invadunt, & à Byzantinis tributum exigunt.

3715. 269. CXXVII, 4. 485.

Hiero Syracusanus, ante septennium στρατηγὸς à militibus electus, hoc anno Syracusarum Rex salutatus est.

Romani interea cum Tarentinis, Samnitibus, Bruttiis, Umbris, Picentibus, Salentinis bellum

A. M. *A. C. N.* *Olymp.* *U. C.*

geſſerunt, in quo ſemper ſuperiores fuerunt. Tantam fortunam veriti Carthaginienſes, Tarentinis auxilia ſubmiſerunt, ac ſic fregerunt fœdus, quod cum Romanis adhuc coluerant. Cùm igitur, quarto anno poſtquàm Hiero Syracuſanus imperium invaſerat, Mamertini, qui Meſſanam occupaverant, ab eo & Carthaginienſibus vexarentur, & auxilium à Populo Romano peterent, cœpit primum Punicum Bellum.

3720. 264. CXXIX, 1. 490.

Appius Claudius Caudex Cos. in Siciliam exercitum trajecit, & Hieronem ita fregit, ut relictis Mamertinis, Syracuſas retrocedere neceſſe habuerit.

Quoniam hoc bellum attigimus, præcipuos ejus eventus breviter recenſebimus, aliis non intermiſtis. Anno igitur ſecundo, *Man. Valerius Maximus*, & *Man. Otacilius* Coss. in Siciliam transfretarunt, ut & ſequentium annorum Coss. qui plures de Carthaginienſibus & Siculis victorias reportarunt. Anno quarto belli, Romani, qui rem nauticam nondum attigerant, claſſem inſtruxerunt; & ſequente anno, ſub *C. Duilii* Cos. auſpiciis, Pœnos maritimæ rei peritiſſimos, & ſæpiùs etiam ſequentibus annis, licèt variis mulctati naufragiis, vicerunt.

Anno nono, cùm Pœni fruſtra oppoſuiſſent claſſem CCCL navium ſuarum, Romanis CCCXXX, quibus præerat *M. Atilius Regulus*, non potuerunt impedire, quo minùs Romanus exercitus in Africam primùm exſcenſionem faceret. Regulus initio multa feliciter geſſit; ſed, anno ſequente, à *Xanthippo* Lacedæmonio victus & captus eſt. Mira hujus Reguli fuit fortitudo, qui captivus, miſſuſque Romam à Carthaginienſibus, ut de captivis redi-

redimendis ageret, turpe hoc Reipublicæ ratus, Senatum ne id faceret, dehortatus est, & in Africam rediit; in qua, si *Appiano* credimus, crudeliter in cavea, ferreis cuspidibus plena, à Carthaginiensibus occisus est. Verùm fabulosum hoc esse mortis genus ostendit *Jac. Palmerius*, initio Exercit. in *Appianum*.

Postea Romani, navalibus præliis fracti, & naufragiis imminuti, mari cedere Pœnis coacti sunt in aliquot annos. Sed anno belli 23 reparatâ classe, ad *Ægatem* Africano littori vicinam insulam, Pœnos fuderunt, sub *Q. Lutatii* Cos. auspiciis. Anno sequente, belli 24. pax Carthaginiensibus, iniquis legibus, data est.

Initio belli hujus, *Eumenes*, Pergami in Asia, post *Philetærum*, principatum tenuit; *Nicomedes*, Bithyniæ Rex, *Astaco* urbi ampliatæ *Nicomediæ* nomen imposuit.

Sub medium belli tempus, Achæorum Resp. florere cœpit. Triginta circiter antea annis, Achaiæ plures urbes societatem ineuntes, ei initium fecerant, & duobus Prætoribus paullò pòst electis, administrandam crediderant. Verùm postea ad unum summa rerum delata est, & primus quidem solus eo munere functus est *M. Caryuensis*, cui post annos quatuor successit *Aratus Sicyonius*, qui xx annos natus, patriam suam ad societatem, cum aliis Achaiæ urbibus ineundam adduxerat.

Inter bellum Punicum primum & secundum, Romæ cœperunt litteræ excoli. *Livius Andronicus* primus fabulam docuit, *Enniumque*, *Pacuvium*, *Nævium*, atque alios Poëtas, in Romanæ Poëseos cultura, suppares habuit.

Tumultus

A. M. *A. C. N.* *Olymp.* *U. C.*

3749. 235. CXXXVI, 2. 519.

Tumultus cùm in Africa, tum in Sardinia ortos Romani brevi compoſuerunt; & pace ubique partâ, primùm, poſt Numæ tempora, Jani Templum clauſerunt. Inde de Gallis, Liguribus, & Sardis varias reportarunt victorias. Eodem tempore *Teuta*, Illyriorum Regina, ſuos piraticis navibus Italiæ littora populari permiſit. Romani queſtum ad eam *C.* & *L. Coruncanos* miſerunt, ex quibus Lucius audaciùs loquutus, contra jus gentium trucidatus eſt. Verùm anno ſequente, victa Regina tributum pendere coacta; & paullò pòſt Romani, legatis ad Achæos, Ætolos, Athenienſes, & Corinthios miſſis, primùm ſe Græciæ rebus immiſcuerunt. Sed Græci pænè omnes, arctiore ſocietate initâ, *Antigonum* τὸν Δώσοντα, *Philippi* Macedoniæ Regis Tutorem, ducem ejus crearunt.

3764. 220. CXL, 1. 534.

Hoc & ſuperiore ævo magnam Hiſpaniæ partem, virtute præſertim *Amilcaris*, cognomine *Barcæ*, captam obtinebant Carthaginienſes. *Aſdrubal*, deinde ejus gener, annis octo ei prefectus fuerat, eámque Provinciam comitate, potiùs, quàm armis, tenuerat & ampliaverat. Sed ejus ſucceſſor *Annibal*, Amilcaris F. belli & novarum rerum cupidior, pacem turbavit, obſeſſâ *Sagunto*, urbe Pop. Romani ſociâ; quam, ſpretâ Romanorum legatione, poſt ſeptem menſes cepit. Legati iidem Carthagine Annibalem ſibi tradi petierunt; ſed negatum eſt, quod petebant.

3766. 218. Ejuſdem, 3. 536.

Hinc natum ſecundum Punicum bellum, annis poſt primum XXIV. Eo ab Annibale Roma ad

incitas

A. M. *A. C N.* *Olymp. U. C.*

incitas fermè adacta à *Scipione*, Africano ideò dicto, liberata est. Duravit bellum annis XVII, cujus brevem descriptionem suppeditabit *Florus*, copiosiorem *Livius*.

Jam ad Judæos, de quibus à temporibus Alexandri nihil ferè diximus, redibimus. A Syriæ ergo & Ægypti Regibus variè vexati fuerunt, & narratur quidem *Antiochus*, Syriæ Rex, à *Ptolemæo Philopatore* Ægypti Rege victus, in Adytum Jerosolimitanum ingredi voluisse, sed miraculo fuisse coërcitus; Philopator verò Judæos, qui in Ægypto erant, ad ejurandam Religionem cogere volens, divinitùs etiam est impeditus.

Paullò antea in Asia ortum dicitur Imperium Parthicum; cujus primus Rex fuit *Arsaces*, à quo *Arsacidæ* dicti sequentes Reges. Eodem tempore, etiam varii Orientis populi, certatim à Macedonibus defecerunt. Alii hæc contigisse tempore primi Punici belli, volunt.

Ardente etiamnum secundo, *Philippus* Macedoniæ Rex cum Annibale fœdus iniit, & Peloponnesum ingressus Aratum veneno sustulit.

Eodem tempore *Val. Lævinus*, Prætor, cum Ætolis & *Attalio*, Pergami Rege, conjunctis viribus, Græciæ infestus esse cœpit. Achæi, aliique Græciæ populi, à Philippo, ut iis resisterent, auxilium petierunt; qui jam infensus erat Romanis, quia idem Prætor pro Apolloniatis adversùs eum bellum gesserat, eumque coëgerat, classe incensâ, in Macedoniam retrocedere. Hæc fuere initia belli Macedonici.

3772. 212. CXLII, 1. 542.

Hoc ipso tempore *Scipiones* bene rem gerebant in Hispania, adversùs Pœnos; sed tertio pòst anno, ambo sunt ab *Asdrubale*, cum exercitu, cæsi.

M

A. M. A. C. N. *Olymp. U. C.*

M. Marcellus quoque in Sicilia feliciter bellum gerebat, & Syracusas, post triennalem obsidionem, tandem expugnavit. Unus restiterat, inventis novis machinis, *Archimedes*; qui, invito *Marcello*, ab imprudente milite est interfectus.

Annibalis res in Italia retrò sublabi cœperunt, dum frustra aggrederetur obsidione Capuæ Romanos expellere, & ipsam Romam incassum tentaret; licet Marcellum, post dubias aliquot pugnas, interfecerit; præsertim postquàm frater Asdrubal, qui in Italiam venerat, ut suas ei jungeret copias, à *Cl. Nerone* & *Livio Salinatore* Coss. cæsus fuisset.

At in Hispania, *P. Scipio* Carthaginem novam uno die expugnavit, copias Punicas vicit, & trajiciens in Africam cum *Syphace* & *Massinissa*, Numidarum Regibus, amicitiam iniit; ac postea Romam reversus, iterum se ad eundum in Africam paravit, resque Siciliæ & Hispaniæ turbidiores composuit.

3778. 206. CXLIII, 3. 548.

Dum hæc gereret Scipio, *Philopoemen*, Achæorum Prætor, cùm multa alia feliciter gessit, tum Lacedæmoniorum Tyrannum *Mechanidam* vicit, cui *Nabis* successit.

Anno sequente Legati sunt à Romanis ad Attalum Regem missi, qui Idææ Matris simulacrum Romam adveherent; quod, cùm vir optimus totius Urbis, ex oraculi responso, excipere deberet, eo titulo dignus judicatus est adolescens P. *Scipio Nasica*; indeque ludi Megalenses celebrati sunt in honorem Deæ.

Cùm Syphax, ductâ *Sophonisbâ* Asdrubalis filiâ, ad Pœnos defeciisset, à Scipione & Massinissa victus & captus est. Carthaginienses frustra pacem

cem cum Romanis inire conati, Annibalem ex Italia revocarunt. Annibal invitus transiit in Africam, ubi acie à Scipione victus est; qui Carthaginiensibus conditiones pacis dixit, eorumque Legatos Romam misit. Postea ipse redux triumphavit.

IX. EPOCHA, *Carthago victa.*

A Carthagine victa, ad JESU CHRISTI *natales, fuerunt anni* CCII, *quibus constat*

IX. PERIODUS.

A. M.	*A. C. N.*	*Olymp.*	*U. C.*
3783.	201.	CXLIV, 4.	553.

CUM confectum esset à Romanis cum Carthaginiensibus bellum, exarsit Macedonicum cum Philippo Rege; cui bello intra quinque annos, sæpiùs victo Philippo, finis impositus est.

3789.	195.	CXLVI, 2.	559.

Cùm Annibal otium ferre non posset, conabatur iterum cives suos ad bellum concitare. Sed metu Romanorum coactus est in Asiam confugere ad *Antiochum Magnum*, qui bellum contra Romanos parabat. Hic Græciam statim quidem invasit, sed brevi à *M. Acilio Glabrione* ingenti prælio victus, eam deserere coactus est; ac tandem sexto, post primos belli apparatus, anno à *L. Scipione, Asiatico* propterea dicto, in ipsa Asia superatus, ex legibus pacis regionibus cis *Taurum* montem cedere coactus est. Biennio pòst, Pub. Scipio Africanus, quasi acceptâ ab Antiocho pecuniâ ad pacem

A. M. *A. C. N.* *Olymp.* *U. C.*

pacem faciendam, Lucius verò Aſiaticus, quaſi peculatûs reus, damnatus eſt.

Hiſce temporibus Romani, Ætolis ſubactis, totius Græciæ arbitri facti, undique legationes contra Philippum accipiunt; qui, per *Demetrium* filium, in Senatu ſeſe purgat.

Hoc anno & ſequente, mortui ſunt tres præſtantiſſimi ætatis illius viri, Scipio Africanus Literni, quò in voluntarium exſilium abierat; Philopœmen Achæorum Prætor Meſſenæ, à Meſſeniis interfectus; Annibal in Bithynia, apud *Pruſiam* Regem, à quo ne Romanis traderetur, hauſto veneno, ſponte vitam finiit. Philopœmeni ſucceſſit *Lycortas*, in gerenda Achæorum Prætura. Verùm, adverſantibus Romanis, hæc Reſpublica diu ſtare non potuit.

3804. 180. CL, 1. 574.

Philippo Macedoniæ Regi filii erant duo, quorum alter infenſiſſimus erat Romanis, alter amicus. Cùm prior, *Perſeus* nomine, timeret, ne, junior *Demetrius*, de quo diximus, gratiâ Romanorum fretus, de Regno ſecum poſt patris mortem contenderet, eum calumniatus adeò eſt apud patrem; ut primùm quidem venenum ei propinari juſſerit, dein ſemianimem ſuffocari. Verùm Philippus, agnitâ haud multò pòſt Demetrii innocentiâ, tertio pòſt anno, ex mœrore obiit, ac Perſeum ſucceſſorem habuit.

3817. 167. CLIII, 2. 587.

Hic ſeptem primos Regni ſui annos conſumſit, in apparatu belli adverſus Romanos; quorum tamen vires, per quadriennium, vix ſuſtinere potuit. De eo triumphavit *L. Æmilius Paulus*, & Macedoniam in Romanæ Provinciæ formam redegit.

A. M. *A. C. N.* *Olymp. U. C.*

degit. Ita Macedonicum Regnum, quod per ſeptingentos annos ſteterat, finem habuit.

Biennio poſtquàm Perſeus Regnum in Macedonia inierat, *Seleuco* Syriæ Regi ſucceſſit *Antiochus Epiphanes*. Ab hoc *Jaſon*, ejecto Oniâ fratre, maximum Pontificatum obtinuit, & eum Jeroſolimam ingreſſum ſummo honore excepit. Eidem, dum claſſem in Phœnicia adornaret, ſubmiſit pecuniam per fratrem *Menelaum*; qui eam ſuo ipſius nomine obtulit, additiſque præterea CCC talentis, ſummum Sacerdotium ſibi obtinuit. At iterum promiſſam pecuniam non ſolventi ſucceſſor datus eſt *Lyſimachus* frater. Inde non exiguæ fuerunt inter Ἀρχιερεῖς hoſce rixæ. Antiochus, ne Judæi à ſe deficerent, veritus, cùm Ægyptum, ſicuti conatus fuerat, invadere non potuiſſet; Jeroſolimam regreſſus, ſacra vaſa diripuit, multaque crudeliſſimè geſſit. Paullò pòſt, Judæos exquiſitis ſupplicjis ad ejurandam ſuam Religionem tentare cœpit; multos ad ejurationem adegit, multos ſæviſſimis mortis generibus ne terrere quidem potuit; inter quos fuerunt *Eleazarus*, & ſeptem fratres unà cum matre, de quibus 2 Macc. VI. & VII.

3816. 168. CLIII, 1. 586.

Mathatias, ex Aaronis proſapia, ad montes Judææ fugit, Judæoſque Religionis avitæ ſtudioſos ad ſe evocavit. Sed, ſequente anno, mortuus *Judam Macchabæum* filium reliquit ſucceſſorem; qui adverſùs Antiochi duces multa egregia edidit facinora. Hinc Mathatiæ filii *Macchabæi* dicti ſunt, quòd in vexillis eorum hæ eſſent litteræ מכבי *Machbai*, quæ ſunt initiales quatuor harum vocum מי כמוך באלהים יהוה *quis ſimilis eſt tibi, inter Deos, Domine?* Dicti ſunt etiam *Haſmonæi*

A. M. *A. C. N.* *Olymp.* *U. C.*

à Chaldaica voce חשמנים, quæ *principes* significat.

3819. 165. CLIII, 4. 589.

Judas, post multas de Antiochi præfectis reportatas victorias, Templum pollutum repurgavit, & novâ dedicatione consecravit, XXV mensis *Casleu*, hoc est, Novembris XXIII. Hinc celebratum quotannis festum Ἐγκαινισμῦ seu *Dedicationis* Templi.

Anno sequente, mortuo Antiocho, Judas Pontificatum inire cœpit, licet *Urbem Davidis*, cui Antiochus Epiphanes præsidium imposuerat, expugnare nondum potuisset. Cùm eam obsideret, *Antiochus*, Epiphanis filius, *Eupator* Jerosolimam cum exercitu venit, & aliquamdiu obsessione cinxit; sed postea, pace certis legibus initâ, urbem ingressus, mœnia ejus dirui curavit. Paullò pòst, *Demetrius Soter*, hujus patruus, qui diu Romæ obses vixerat, clam Urbe relictâ, in Syriam ivit, & paterno regno recuperato, Antiochum, *Lysiam*que præcipuum ejus ducem interficit. Inde Judæis primùm infensus, artibus *Alcimi*, qui summo Sacerdotio imminebat, fœdus cum iis paullò post fecit. At pax haud diuturna fuit; sequente enim anno, collatis signis, Judas Macchabæus cum *Bacchide*, Demetrii præfecto, pugnavit, atque in acie cecidit.

Hoc tempore vivebant *Eumenes* & *Attalus*, Pergami Reges, & *Hipparchus*, celebris Astronomus apud Græcos; apud Romanos verò *Pacuvius* Brunduſinus Tragœdiarum Scriptor.

3835. 149. CLVII, 4. 605.

Cùm Carthaginienses Masiniſſam Numidiæ Regem, Populi Romani ſocium, infestarent, & con-

Alexander Balas, the counterfeit Son of Antiochus Epiphanes, put up for the Throne of Syria after Demetrius, who was killed in an engagement, the same year opposed by Demetrius, & Son of the former, Demetrius is slain & succeeded by his competitor, who assumed the name of Nicanor.

A. M. *A. C. N.* *Olymp. U. C.*

tra fœdus naves haberent; ortum est tertium Punicum bellum, quod terra marique ab utroque Consule gestum est; atque intra quatuor annos, Carthagine à *Scipione Æmiliano* deletâ, confectum.

Circa eadem tempora, cœpere bella, Achaicum, quòd Legati Populi Romani ab Achæis pulsati fuissent; & Hispanicum, adversùs *Viriathum*, qui Lusitaniam invaserat.

3839. 145. CLVIII, 4. 609.

Judæi, duce Jonathâ Judæ fratre, non infeliciter agebant, nec Syriæ Regibus invisi erant; & Jonathas quidem fœdus cum Romanis & Lacedæmoniis pepigit; posterioresque, quasi ex eadem origine ac Judæi orti essent, honorificè compellavit, 1 *Maccab.* XII. Ei in Sacerdotio successit *Simon frater*, triennio post memoratum fœdus.

3851. 138. CLXI, 4. 621.

Anno pòst, inchoatum Achaicum bellum confectum est, & Corintho à *L. Mummio* incensâ, Achaia in Provinciam redacta; quo magis mirum videtur Judæos Lacedæmoniorum, qui in fœdere Achaico erant, gratiam paullò ante inire voluisse. At in Hispania res variâ fortunâ gestæ sunt, donec anno præscripto à Scipione Æmiliano, post longam obsidionem, *Numantia* everteretur.

Duobus antea annis Simoni, à Ptolemæo genero per insidias occiso, successerat *Joannes Hyrcanus* filius; qui primùm quidem *Antiochi Sidetæ* amicus, deinde hostis, aliquot ejus urbes populatus est, & inter alias quidem Sicima & Garizim, ubi Templum ante ducentos annos exstructum, funditùs evertit. Inde Idumæos subegit, atque ad

From this time all Greece became a Roman province.
When Corinth was set on fire there was such a glut of Gold, Silver, & Brass Statues melted, that the mixture of them formed the famous Corinthian Brass.

A. M. *A. C. N.* *Olymp.* *U. C.*

circumcisionem admittendam, quòd essent Abrahami posteri, vi adegit.

Eodem anno, quo capta Numantia, Attalus obiit, & populum Romanum heredem scripsit; ac translata quidem ex Asia aulæa, signa, tabulæ pictæ, pretiosa vasa &c. populum Romanum cœperunt luxu corrumpere. Illo ipso anno, *Tiberius Gracchus* Tr. Plebis seditionem movens interfectus est.

Paullò pòst, Romani cœperunt in Galliam Transalpinam, post victos Narbonensis Provinciæ incolas, colonias deducere; dum in Asia apud Syriæ Reges, fœdis cædibus, omnia miscerentur. *Demetrius* ab uxore *Cleopatra*, propter æmulationem *Rhodogunes* alterius uxoris, interfectus est. Eadem & filium suum *Seleucum*, qui sine ejus auctoritate regnum capessiverat, paullò pòst occidit. Ejus loco regnavit *Antiochus Grypus*, qui Cleopatram matrem, venenum sibi propinantem, ipsam bibere coëgit. Inde cum *Antiocho Cyziceno* fratre bellum diu, variâ fortunâ, gessit.

3873. III. CLXVII, 2. 643.

Hoc anno cœpit bellum *Jugurthinum*, cujus Historiam pertexuit *Sallustius*. *Jugurtha* aliquot Romanos duces pecuniâ corrupit, cladesque ab aliis ingentes passus est, & tandem post annum octavum, à *C. Mario* Consule in Triumphum abductus est.

Eo tempore, Hyrcano Pontifici mortuo successit *Aristobulus* filius, qui primus diadema sumsit, & anno uno regnavit; relicto Regno *Alexandro Jannæo* fratri, qui magnis cladibus à *Ptolemæo Lathuro* Ægypti Rege affectus est.

after many short revolutions in the kingdom of Syria was fixed, & became a Roman province in the year 3006, while Lucullus ruled in those parts. It was founded by Seleucus Nicanor, one of Alexander's Captains, about 240 years before Marius upon the death of Ptolemy Lathurus the kingdom of Egypt was given to his successor, by the chief magistrate of it was in the hands of the Romans.

A. M. *A. C. N.* *Olymp.* *U. C.*

Marius Teutonas & Ambronas ad Aquas Sextias devicit, atque hinc Gallorum verticibus Romani imminere cœperunt.

3890. 94. CLXXI, 3. 660.

Ariobarzanes, ex regno Cappadociæ à *Mithridate* Ponti Rege pulsus, restitutus est à *L. Cornelio Sulla*, Ciliciæ Proprætore; atque hinc initium duxit bellum Mithridaticum, quod per quadraginta annos Populi Romani exercitus occupavit. Paullò pòst *Nicomedes*, Bithyniæ Rex, ab eodem Mithridate ejectus, à Sulla in regnum reductus est. Sed altero post Nicomedem restitutum anno, Mithridates majore conscripto exercitu, Phrygiam occupavit ac devastavit; cives omnes Romanos, qui in Asia erant, uno die interfici curavit, Macedoniamque, Thraciam, & Græciam invasit.

Sulla bello Italico tunc occupatus erat, & Samnites ingenti prælio vicerat. Interea Marius conabatur ei imperium eripere, operâ C. Sulpicii Tribuni Plebis; at Sulla ex Campania Romam rediens, Sulpicium occidit, Mariumque in fugam egit. Sequente iterum anno, multa passa est Italia ab exercitibus Marii, *Cinnæ*, *Carbonis*, *Sertorii*; dum Sulla in Græcia Mithridatis copias variis atterebat victoriis. Mario ex morbo fato functo, Cinna Consul *L. Flaccum* successorem mittit Sullæ; at Flaccum legatus *Fimbria* interficit, qui postea ab exercitu ad Sullam deficiente relictus sibi manus intulit. Ipse Cinna ab exercitu, quem contra Sullam parabat, interfectus est, & Carboni soli Consulatum reliquit, qui oblatas à Sulla pacis conditiones respuit. Hic itaque triginta hominum millia ex Græcia adduxit, quorum fortitudine, *Cn. Nòrbani Flacci* Consulis multo majorem exercitum prælio vicit. Eodem tempore

A. M. *A. C. N.* *Olymp.* *U. C.*

Q. Sertorius, qui exercitum in Italia habuerat, desperatis rebus, in provinciam, quam forte consequutus erat, ulteriorem nempe Hispaniam, concessit; *Cneus* verò *Pompejus*, qui postea eum vicit, se cum tribus Volonum legionibus Sullæ adjunxit, viginti tres annos natus. Sulla sequente anno, *C. Marium* filium ad Prænestе prælio superavit; inde urbe potitus, inimicorum bona publicavit, cum *Damasippo* Prætore, Mario, *Carrinate*, ac Samnitum copiis, ante portam Collinam, iterum dimicavit ac vicit. Postea DICTATOR Sulla creatus est, quo munere post triennium demum se abdicavit.

3906. 78. CLXXV, 3. 676.

In Judæa mortuo Alexandro Regi successit *Hyrcanus* filius, & regnavit annis undecim. Interea Sertorius in Hispania Romanos exercitus, quibus præerant *Metellus* & *Pompejus*, variis præliis, modò victor, modò victus, atterebat, donec post quintum annum, cùm ipse, tum *Perperna*, ejus Legatus, suorum insidiis perierunt, quo factum est, ut Pompejus Hispanias reciperet.

Tunc temporis, *Servilius* Isauros domuit, urbesque eorum in Cilicia expugnavit; unde *Isaurici* cognomen adeptus, devictis Piratis, Cilicia, Cretaque in formam Provinciæ redactis, triumphavit. *L. Lucullus* ad Mithridaticum bellum profectus est, & multas de eo retulit victorias. Bellum servile, *Spartaco* duce, coortum, vix post triennium à *M. Crasso* Prætore, & Cn. Pompeio confectum est.

M. Tullius Cicero tunc in Sicilia Quæstor erat, & eloquentiæ laude florere incipiebat. Vivebant etiam *Varro*, *Lucretius*, *Catullus*, aliique eruditissimi viri.

Cùm

A. M. *A. C. N.* *Olymp.* *U. C.*

3917. 67. CLXXVII, 2. 687.

Cùm Servilius Piratas Cilicas & alios funditus non deleviſſet, claſſibus inſtauratis, omnia infeſtabant maria; unde delatum Cn. Pompeio extraordinarium imperium, ut maria eorum latrociniis purgaret. Intra quadraginta dies, eos omnes aut cepit, aut navibus combuſtis ad incitas redegit. Sequente anno, idem Pompeius adverſùs Mithridatem miſſus, diuturnum illud bellum tandem confecit, ideoque triumphavit. Varia ſimul præclara facinora, per totam fermè Aſiam, edidit.

Tunc Hyrcanus, Rex ac Pontifex Judæorum, Pontificatu dejectus eſt, ab *Ariſtobulo* fratre, qui id munus per triennium tenuit. Sed à Pompejo, Jeroſolimâ expugnatâ, captus, unà cum liberis Romam miſſus eſt, Hyrcanoque reſtitutum munus.

Eodem anno, Cicero Conſul Rempublicam Romanam periculoſiſſimà conjuratione liberavit. *Catilina*, qui dux ejus erat, à *Petreio*, *Antonii* alterius Cos. legato, victus occubuit.

3924. 60. CLXXX, 1. 694.

Pompeius, Craſſus, & Cæſar, amicitiâ inter ſe inſtitutâ, Rempublicam opprimere cogitant, variis factionibus turbatam. Cæſar Gallias obtinet, quas per decem annos habuit; Craſſus Syriam, unde contra Parthos profectus cum filio P. Craſſo & exercitu, ab eorum equitatu circumventus & interfectus eſt; Pompeius Hiſpanias. Interea temporis, Cicero in exſilium actus & revocatus eſt; Hyrcanus in Judæa ab *Alexandro* Ariſtobuli filio, Jeroſolimâ pulſus, à *Gabinio* reſtitutus eſt. Is Gabinius, ut *Magni Synedrii* Jeroſolimitani auctoritatem minueret, quatuor ſimilia, *Gadaris*, *Amathunte*, *Hierichunte*, & *Saphoris* inſtituit.

Dum

A. M. *A. C. N.* *Olymp. U. C.*

Dum Cæsar multas de Gallis & Germanis victorias reportat, Pompeius Theatrum suum dedicat, & præbet ludos, in quibus D leones, elephantes XVIII sunt occisi; Crassus verò, ut dictum, bello temerè in Parthos moto, in ipsa expeditione perit.

3933. 51. CLXXXII, 2. 703.

Cicero hoc anno, ex SCTO, Proconsul Ciliciam obtinuit, & victis quibusdam in monte Amano latronibus, expugnatisque castellis, Imperator ab exercitu salutatus est. *C. Cassius* etiam tunc temporis Syriam fortiter contra Parthos, qui in eam irruperant, defendit; ita ut, re infectâ, abierint.

Anno sequente, cùm Senatus frustra à Cæsare exercitum dimitti voluisset, coortum est inter illum & Pompeium civile bellum; quo primùm Cæsar Italiam cùm exercitu ingressus, Pompeium cum Senatu expulit; postea Pompeianos exercitus, in Hispania, in deditionem accepit; deinde postquàm Romam redux Consulatum iniisset, trajecto in Epirum exercitu, Pompeium ipsum vicit, qui in Ægyptum fugiens, à *Ptolemæo* interfectus est. Cæsar eò Pompeium prosequutus ab Ægypti Rege ferè oppressus, vicit tamen Alexandrinos, & Dictaturam perpetuam iniit. Sequente anno, *Scipionem* Pompeii socerum in Africa vicit, atque anno demum quinto, ab initio belli civilis, Pompeii filios in Hispania profligavit; quâ postremâ victoriâ, rerum penitus potitus est.

Tunc de emendando anno cogitavit, & cùm præcedens, qui confusionis dicitur, eo jubente, 445 dies habuisset, hic annus ante natum Christum 45 primus Julianus fuit; qui constat 365 diebus, horis 6, quæ numeratæ quarto quoque bissextili

A. M. *A. C. N.* *Olymp. U. C.*

anno diem unum efficiunt. Vide *Petavii Rationar.* P. 2. Lib. I. c. 1.

Quarto Dictaturæ anno Cæsar, & sexto post inchoatum civile bellum, Calendis Martiis est in Senatu interfectus.

Quidam *Antipater* Idumæus, qui Hyrcani favore evectus ad præcipua Aulæ Jerosolimitanæ munera fuerat, & Cæsarem in expeditione Alexandrina adjuverat, procurator propterea Judææ ab eo creatus est. Is fuit pater *Herodis Magni*, qui tamen Cæsare mortuo opem Cassio tulit; inde, devictis Cassii partibus, ad *M. Antonium* transiit, ut mox videbimus, & ad solium sibi viam, ductâ paullò pòst *Mariamne* nepte Hyrcani, aperuit.

Priùs observandum *Brutum* & Cassium, qui duces fuerant conspirationis, quâ Julius Cæsar extinctus est, mox à *C. Octavio Cæsare* & M. Antonio devictos fuisse, post varias in Imperio turbas, quas narrare longum esset. Præcipuæ fuerunt proscriptiones, quibus præstantissimi viri plurimi periere, inter quos Cicero. *M. Lepidus* III. Vir particeps, unà cùm Antonio & Cæsare, horum malorum fuit, deinde fato functus summam illis rerum reliquit. Hi in perpetua fermè inimicitia postea vixerunt, donec in apertum erumperent bellum.

Sextus Pompejus, qui unus ex filiis Cn. Pompeii superstes erat, tunc Siciliam habebat, & validâ classe mari præerat. Sed tandem ab Octavio Cæsare victus, dum se ad Antonium conferret, hujus jussu è medio sublatus est.

3945. 39. CLXXXV. 715.

Dum hæc gererentur, Parthi in Syriam irrupere, atque occupatâ Jerosolimâ, Hyrcanum auribus mutilatum, instigante *Antigono* Aristobuli filio,

A. M. *A. C. N.* *Olymp.* *U. C.*

Pontificatu exuerunt, Antigonumque ei ſubſtituerunt. Herodes, qui ab Hyrcani partibus ſteterat, Romam ad Antonium & Cæſarem profugit; à quibus Regnum Judææ, præter ſpem, ex SCTO, obtinuit. Inde profectus in Judæam à *C. Soſio* adjutus, Jeroſolimam cepit, quarto Regni anno. Antigonum captum cruci affixit, & cùm ita Haſmonæorum imperio, quod CXXVI annis ſteterat, finem impoſuiſſet, quemdam *Ananelum*, ex Babylonia accitum, Pontificem Maximum creavit; inde ei exauctorato ſuffecit *Ariſtobulum*, *Mariamnes* uxoris fratrem, quem paullò pòſt, quòd populo gratior eſſet, natantem ſuffocari curavit. Mariamnen etiam uxorem, perpetuò ei cædem illam exprobrantem, aliquot pòſt annis, ſecuri percuti juſſit.

3953. 31. CLXXXVII, 2. 723.

Hoc anno bellum Actiacum, adverſùs Antonium & Cleopatram, geſtum eſt ab Auguſto. Cùm hic ſuperior fuiſſet, & Ægyptum occupaſſet, Antonius & Cleopatra manus ſibi attulerunt. Tertio anno Cæſar triumphavit, nec multò pòſt AUGUSTI cognomen conſequutus eſt.

Ejus res geſtas à plurimis narratas prætermittemus, contenti indicaſſe poſt cruenta initia, poſtquàm ſolus rerum potitus eſt, optimum fuiſſe Principem, & ſumma cum clementia Rempublicam adminiſtraſſe; cujus eximia exempla occurrunt apud *Senecam*, *de Clementia*. Idem litteris maximè favit, quo factum eſt, ut ejus tempore præſtantiſſimi viri in omni litterarum genere floruerint; inter quos maximè eminent hi, quorum ſcripta ad nos pervenerunt, *Livius*, *Strabo*, *Vitruvius*, *Virgilius*, *Horatius*, *Tibullus*, *Propertius*, *Ovidius*, &c.

A. M. *A. C. N.* *Olymp.* *U. C.*

Liberos maſculi generis non habuit, ſed tantùm *Juliam* filiam, quam *Marcello* primùm, ſororis Octaviæ filio, qui juvenis obiit, locavit; deinde *M. Vipſanio Agrippæ*, qui cum *Mecænate* amicorum intimus erat. Ex hoc poſteriore matrimonio nati ſunt *C.* & *Lucius Cæſares*, qui ab Avo adoptati, in juventute, fato functi ſunt. Adoptavit etiam Auguſtus privignos ſuos, Liviæ uxoris filios, *Tiberium* & *Druſum*. Tiberius, qui poſtea Imperator fuit, ſine liberis, mortuo ante eum fraude Liviæ uxoris Druſo filio, fato functus eſt; ſed ex *Germanico* Druſi filio numeroſa prognata eſt ſoboles, de qua poſtea dicemus. At ipſe Germanicus, ut & pater Druſus, ad provectam ætatem non pervenerunt.

3979. 5. CXCIII, 4. 749.

Herodes, poſt multas cædes, etiam liberorum ſuorum *Alexandri* & *Ariſtobuli* Mariamnes filiorum, morti vicinus, cumulum crudelitati addidit; interfectis Bethlehemitarum infantibus, quòd rumor ſparſus eſſet Bethlehemi natum Regem Judæorum. Chriſtus enim, uti exiſtimat *Petavius*, quem hic ſequimur, quindecim circiter menſibus, priuſquàm obiret Herodes, natus eſt. Magi autem paullò pòſt in Judæam venerunt, & quærendo ubi natus eſſet Rex Judæorum, Herodi infanticidii occaſionem dederunt. *Antipatrum* etiam filium, quem in vinculis habebat, & à quo venenum ſibi paratum reſciverat, interfici paullò pòſt juſſit; quæ res Auguſto narrata, hoc ei dictum, quod habet *Macrobius*, Saturn. Lib. II. c. 4. expreſſit: *Melius eſt Herodis porcum eſſe, quàm filium.* Poſt Herodis mortem *Archelaus* Romam venit, ut ex patris teſtamento Regnum Judææ impetraret ab Auguſto; qui id in Tetrarchias, ſeu quatuor ditiones,

A. M. *A. C. N.* *Olymp. U. C.*

ones, divisit, quarum geminas Archelao dedit, singulas *Herodi Antipæ*, & *Philippo*.

3983. 1. CXCIV, 4. 753.

Licèt omnes Chronologi consentiant, circa hæc tempora natum esse CHRISTUM, attamen de anno non consentiunt. Quidam sexennio præcessisse æram vulgarem putant natales faustissimos, *Petavius* quinquennio, *Baronius*, *Scaliger*, aliique biennio. Interea propter veterem usum, & ne pariatur confusio in calculis, omnes numerant annos, secundùm vulgarem opinionem, quâ dicitur natus Servator, *Cosso Cornelio Lentulo*, *L. Calpurnio Pisone* Coss. Decembris 25 anno 43 à primo Augusti Consulatu, quo Rempublicam unà cum Antonio & Lepido invasit. Verùm hic annus non dicitur primus Christi, sed sequens tantùm, propter Juliani anni rationem.

X. EPOCHA, *Christus.*

A CHRISTO NATO, *ad Conversionem Constantini Magni, fuerunt anni* CCCXII, *quibus constat*

X. PERIODUS.

Anni à Christo Nato.

3.

CUM Tiberio, naturâ morosо, & suspicaci, non potuisset satis convenire cum Caio & Lucio Cæsaribus, secesserat ille in insulam Rhodum, in quâ per septennium vixit. Sed impetratâ ab Augusto veniâ, hoc anno Romam rediit; quo Lucius,

A. C.

cius, in Hiſpaniam miſſus, ex morbo Maſſiliæ obiit. Octodecim menſibus, poſt mortem fratris, obiit in Lycia Caius, dum in Italiam ab Auguſto ſæpiùs revocatus tandem rediret. Utrique erectum eſt Piſis in Etruria Cenotaphium, quod eruditiſſimo Commentario illuſtravit *Henr.* Cardinalis *Noriſius*. Ab eo tempore, Tiberius, quaſi ſucceſſor Imperii, omnium votis deſignatus eſt. Erat quidem Auguſto tertius, ex Julia filia, nepos *Agrippæ*; ſed quem nunquam iis honoribus ornavit, eoque affectu proſequutus eſt, quo fratres, fuerat.

Tandem Auguſtus, poſt adminiſtratam per LVII annos Rempublicam, eam, quam exoptaverat, *εὐθανασίαν* Nolæ in Campania conſequutus eſt, Aug. XIX, cùm natus eſſet LXXVI annos.

14.

Tiberius Auguſto ſucceſſit, & imperavit annos XXII. Hic nimiâ ſævitiâ Romanos miris modis vexavit, ut apud *Tacitum* & *Suetonium* videre eſt. Interea Germanicus, Druſi fratris filius, ſeditioſas legiones in Germania coercet, licèt Imperium ei deferentes, eaſque adverſùs *Cheruſcos*, *Chattos*, *Angrivarios*, Rheni accolas, ducit, ac de gentibus illis devictis triumphat. Inde cum extraordinaria poteſtate in Orientem miſſus, cum Tiberio ſuſpicaci & ſupra modum timido inviſus eſſet, à *Piſone* Syriæ Præſide, poſt biennium, veneno ſublatus creditur. Septem poſt annis, Tiberius Romam reliquit, atque in Campaniam nunquam reverſurus conceſſit, ſe Capreis inſulâ ad mortem uſque continens. Eodem anno, quo Capreas ingreſſus eſt, miſſus eſt in Judæam Procurator *Pontius Pilatus*.

A. C.

28.

Sequente, nempe XV Tiberii, *Joannes Zachariæ* filius, qui eodem anno, ac Christus, natus erat, cœpit pœnitentiam prædicare in Judæa; nec in disciplinam suam Judæos ipsos, nisi præmisso baptismo, admittebat.

29.

Cùm per annum ministerio illo functus esset, ei se baptizandum obtulit Christus, & suum ipse præconium cœpit; Joannes verò ab Herode in carcerem, propter causam in Evangeliis memoratam, conjectus est. Hoc anno, Livia, mater Tiberii, impio invisa filio, obiit annos LXXXVI nata.

31.

Christus, tertio præconii anno, in crucem, pro humani generis salute, actus est, ex calculo *Petavii*, Martii XXIII, feriâ VI, Lunâ, prout in Judæa observari solebat, XV; post celebratum tertium, aut secundum saltem Pascha, ab inito munere. Obiit sub finem diei Veneris, & per totum Sabbathi diem & partem aliquam cùm Diei Veneris, tùm diei Solis sequentis, in sepulcro commoratus est, hoc est, circiter 36 horas. Resurrexit Martii XXV, ante ortum Solis. Ascendit in cœlum Maii III, & Spiritum Sanctum in Apostolos XIII demisit.

Inde Apostoli cœperunt prædicare Evangelium, non Chaldaicâ modo, aut Græcâ Linguâ, quæ in Judæa usitatæ erant, iisque vernaculæ; sed aliis etiam in toto orbe terrarum notis. Eodem hoc anno occisus est *Stephanus*, atque Ecclesia Jerosolimitana, exceptis Apostolis, dissipata est.

34.

Ut Historiæ sacræ profanam identidem admisceamus, hoc ipso anno, & post hunc quarto, duo con-

A. C.

contigerunt Romæ memoratu digna; nempe *Sejanus*, qui in maximo favore apud Tiberium fuerat, litteris ad Senatum à Tiberio accusatus, comprehensus, ac capitali supplicio punitus est. Parthi verò, qui infensissimi fuerant Tiberio & Romanis, *Artabani* Regis sui pertæsi, Romam venerunt, ut *Phraaten* à Tiberio Regem impetrarent. Verùm, Phraate in itinere fato functo, *Tyridatem* eis præfecit, quem in regnum deduxit *Vitellius*, Syriæ Præses. Tum obiit *Philippus*, Herodis filius, qui tetrarchiam in Judæa ab Augusto acceperat.

36.

Paulus Tarsensis, qui anno Christi XXXIII ad fidem Christi conversus fuerat, tunc temporis incipiebat Apostolico munere fungi. Post annos tres à conversione, ivit Jerosolimam, ut videret *Petrum*, atque inde Cæsaream, & Cæsareâ Tarsum profectus est.

37.

Sequente anno, fato functus est Tiberius, cui successit C. *Caligula*, Germanici filius. Statim ac pervenit ad Imperium, *Agrippam*, Herodis ex *Aristobulo* nepotem, ex vinculis liberavit, eique *Philippi* & *Lysaniæ* Tetrarchias attribuit, cum titulo Regis. Hic est Agrippa ille, cujus mentio occurrit in Actis Apostolorum.

Eodem anno, *Petrus* Antiochiam adiit; ubi, post triennium, Jesu Christi discipuli *Christiani* dicti sunt.

Caligula, postquàm per quadriennium Imperium obtinuisset, & omni flagitiorum genere grassatus esset, eò usque ut Deus haberi & adorari vellet, tandem à *Chærea* aliisque conjuratis trucidatus est.

A. C. 41. Successit ei *Claudius* patruus, cujus stoliditas decessoris furorem æquavit. Elegantissimam in eum Satyram scripsit *Seneca*, cui Ἀποκολοκύνθωσις titulum fecit.

Hic etiam Agrippæ regnum amplificavit, adjectâ Judææâ & Samariâ, quo factum ut Jerosolimam veniret, captaturusque populi benevolentiam Christianos malè haberet, *Jacobum* occideret, ac Petrum in carcerem conjiceret.

Veteres prodiderunt, anno sequente, Petrum Antiochiâ Romam iviſſe, ut *Simoni* Mago adversaretur. Recentiores verò nonnulli, hoc & præcedenti sæculo, allatis quibusdam difficultatibus Chronologicis, aliisque levibus conjecturis, Petrum unquam Romæ fuisse, &, quod summo consensu tota affirmavit Antiquitas, eum Romæ passum esse martyrium, negarunt. Verùm absurdum est, in re ejuscemodi contradicere omnibus, quòd nos quibusdam difficultatibus expedire nequeamus. Constat quidem Petrum per XXIV continuos annos Romæ non fuisse, sed unquam eum Urbem vidisse, negare piaculum videatur. Vide hac de re I. Dissert. *Joan. Pearsonii*, de successione primorum Romæ Episoporum, Capp. VII & VIII.

Altera Epistola Petri nec Romæ, nec ullius alius loci, in quo scripta fuerit, indicium habet. Eam ejus non esse judicarunt *H. Grotius*, *Cl. Salmasius*, & *Jos. Scaliger*. Prima scripta *Babylone* dicitur, & per Babylonem quidem intellexerunt Veteres Romam, propter magnitudinem Imperii Romani Babylonico similis, cujusque proinde Metropolis potuit optimè designari, nomine Babylonici Imperii Metropoleos; alii verò Ægyptiacam Babylonem verisimiliùs interpretati sunt. Tempus scriptionis indicari nequit. Vide *Lud. Capellum*, in Append. Hist. Apostolicæ, ubi

A. C.

ubi tamen in aliam abiit ſententiam. Idem ſuppeditabit Hiſtoriam itinerum Pauli, & tempus ſcriptionis uniuſcujuſque Epiſtolarum ejus; quod etiam argumentum *Joannes Pearſonius* in Annalibus Paulinis, & Prælectionibus in Acta, accuratiùs tractavit.

49.

Claudius, nono Imperii anno, Judæos Româ expulit, unaque cum iis Chriſtianos, qui tunc temporis cum Judæis confundebantur; unde Suetonius dicit eos *auctore Cheſto tumultuantes*, Româ pulſos. *Chriſtum* dicere voluit, quem ſeditionis ducem perperam fecit, quòd ejus doctrina Judæorum & Chriſtianorum diſſidiis occaſionem præbuiſſet. Tunc Petrus in Judæam, ut quidam putant, rediit, & Aquila ac Priſcilla Corinthum venerunt, ut narratur Act. XVIII. Eodem anno, ortâ Antiochiæ controverſiâ de ritibus Judaicis, Apoſtoli cum Jeroſolimitana Eccleſia id judicium tulerunt, quod habetur Act. XV.

Claudibus tunc temporis, interfectâ uxore *Meſſalinâ*, quæ palam mœchabatur, uxorem duxit Germanici fratris filiam *Agrippinam*; quæ ex *Domitio Ahenobarbo* filium ſuſtulerat *Neronem*, cui hoc anno præceptorem dedit *L. Senecam*, ab exſilio revocatum. Inde Claudius Neronem adoptavit, *Pallantis* liberti conſiliis permotus, filiumque *Britannicum*, ex Meſſalina ſuſceptum, exheredavit.

Anno Claudii quarto, obierat Rex *Agrippa*, unde factum, ut ejus regnum à Romanis regeretur Procuratoribus; qui vexationibus innumeris ita exacerbarunt Judæorum animos, ut tandem in apertum eruperint bellum.

A. C.

54. [redacted]

Claudio, boletis venenatis è medio ſublato, ſucceſſit Nero, cujus vel ſolum nomen horrorem incutit; propter ferinam indolem, atque inauditas antea crudelitates. Matrem, fratrem Britannicum, Senecam præceptorem, alioſque egregios viros interfecit. Comœdum egit, Romam ipſe incendit, & conjectâ in Chriſtianos criminis invidiâ, exquiſitis eos ſuppliciis magno numero occidit.

Ejus tempore vixerunt *Perſius* & *Lucanus* Poëtæ; & paullò antea *Quintilianus*, præſtantiſſimus Rhetorices magiſter. Sequutus eſt, non longo intervallo, *Juvenalis*, cui adjungendus etiam *Curtius* Hiſtoricus, licet ſub Veſpaſiano demum Hiſtoriam ſuam ediderit.

Creduntur XIV ac ultimo Neronis anno, Martyrium paſſi Romæ, Petrus & Paulus.

69.

Paullò ante cœpit bellum Judaicum, cujus Hiſtoriam accuratam ſcripſit, qui rebus ipſis interfuit, *Joſephus*. *Veſpaſianus*, Syriæ Præſes, multas de Judæis retulit victorias, priuſquàm Imperium capeſſeret; ad quod pervenit ſequente Neronis mortem anno, cùm *Galba*, *Otho*, & *Vitellius*, mutuis cladibus confecti, fruſtra id ad ſe trahere conati eſſent. Inde Judaico bello *Titum* filium præficit, qui Jeroſolimam, poſt ſeptem menſium obſidionem, cepit, & ſolo æquavit. Uti vix ulla gens tam atrocia commiſit facinora, ac Judæi in eo bello: ita etiam vix ulla alia tam dira paſſa eſt. Paullò pòſt *Onion*, ſeu Templum Judæorum Ægyptienſium ab Onia Pontifice conditum, ſolo æquatum eſt, cùm in Ægypto tumultuarentur Judæi.

Paullò ante hæc tempora, ſcriptæ cenſentur duæ Apoſtolicorum virorum Epiſtolæ; *Barnabæ*, nimi-

A. C.

rum, quæ Catholica est, & *Clementis* Romani Episcopi ad Corinthios I. Multùm dissentiunt Veteres, utrum Clemens, an verò *Linus*, aut *Cletus*, primus Romanam Sedem occupaverit. Qua de re *Joan. Pearsonius* & *Henr. Dodwellus* in Diss. de successione primorum Romæ Episcoporum, consulendi.

Hoc tempore floruit *Asconius Pedianus*, celebris Grammaticus, ut & *Plinius*, Historiæ Naturalis Scriptor.

Vespasianus, postquàm per decem annos & sex circiter menses Imperium tenuisset, fato functus successorem reliquit *Titum*, optimum Imperatorem; qui querebatur, frustra sibi abiisse diem, quo alicui non benefecerat. Sed vix ad tertium Imperii annum pervenerat, cùm immaturo abreptus fato, sui desiderium eò vehementius reliquit, quò pejor fuit, qui ei successit, frater *Domitianus*. Hic adversùs Deum & homines injurius, *Deum ac Dominum* se jussit appellari, multos cives interfecit, & Philosophos ex Urbe exegit; quam in rem *Sulpitia* eam scripsit Satiram, quam adhuc habemus.

Verùm, qui in Ethnicos sæviebat, graviùs in Christianos grassatus est. *Secundam* post Neronem in eos *Persecutionem* concitavit, sed brevem. Legenda hac de persequutione, ut & de aliis, Differt. *Henr. Dodwelli*, de paucitate Martyrum.

93.

Dicitur tunc *Joannes* Apostolus in lebetem oleo fervente plenum injectus, salvus atque incolumis inde evasisse, atque in insulam Patmon relegatus. Christianismus tunc longè lateque spargi incipie-

A. C.

bat, & præcipuæ nobilitatis viri nomen ſuum inter Chriſtianos profiteri; inter quos fuit *Flavius Clemens* Conſul, Conſobrinus Domitiani, qui propterea eum interfici juſſit.

Circa hæc tempora, *Joannes* vulgò creditur conſcripſiſſe Apocalypſin; & *Joſephus* ipſe teſtatur, ſe occupatum fuiſſe in contexendis Antiquitatum ſuarum libris. Florebat eodem tempore *Juſtus Tiberiadenſis*, Joſephi æmulus, Judaicæ etiam Hiſtoriæ ſcriptor, quæ periit.

96.

Poſt annorum xv Imperium, Domitianus interfectus eſt à conjuratis aliquot, eique ſucceſſit *Cocceius Nerva*, qui ejus acta reſcidit; unde factum, ut Jannes ex inſula Patmo in Aſiam ſit reverſus, ubi anno ſequente, ætatis 90 dicitur Evangelium ſuum ſcripſiſſe, & vitam poſtea in biennium produxiſſe.

98.

Nerva, poſtquàm Imperium tenuiſſet, per annum unum & menſes aliquot, ſucceſſorem reliquit *Ulpium Trajanum*. Hic multa geſſit præclara; Dacos, Armenos, Iberos, Sarmatas, Parthos, pluresque alias gentes barbaras domuit. Sed ſub ejus Imperio excitata in Chriſtianos *Tertia Perſequutio* clementiæ ejus non parum detraxit. Attamen diu non ſæviit, ut apparet ex *Plinii* Junioris Epiſt. xcviii. Lib. x, ubi egregium Chriſtianis perhibet teſtimonium. Hæc tertia narratur perſequutio, in qua non multi ſunt interfecti, ut oſtendit *H. Dodwellus*, in diſſertatione, quam laudavimus. Sub hoc tamen Imperatore martyrium fecerunt *Clemens* Romanus, & *Ignatius* Antiochenus Epiſcopus; de cujus Epiſtolis ſuperſtitibus *Jac. Uſſerius*, & *Joan. Pearſonius*, viri longè eruditiſſimi, adeundi ſunt.

A. C.

113.

Judæi in Cyrenaica & Ægypto tumultuantes, poſt innumeras cædes editas, ingenti numero cæſi ſunt, cùm in memoratis locis, tum in inſula Cypro; ad quam exinde appellere, etiam tempeſtate delatis, Judæis omnibus capitale fuit.

Trajano regnante, multi eruditi viri floruerunt, quorum nomina in Epiſtolis Plinii habemus; inter quos eminuit *Cornelius Tacitus*, præſtantiſſimus Hiſtoricus.

117.

Ælius Hadrianus Trajano, poſt novemdecim annorum imperium, ſucceſſit, & ſub ejus quidem Imperio illuſtres fuerunt *Florus* & *Suetonius* Hiſtorici Romani, Philoſophi verò Græci *Plutarchus* & *Sextus* Empiricus.

Sub hujus etiam regno dicuntur fuiſſe *Saturninus*, *Baſilides*, & *Carpocrates*, Hæretici, è quibus quidam profluxiſſe Gnoſticorum Sectam, alii antiquiorem putant; de qua conſulendus vir eruditiſſimus *Henr. Hammondus*, Cap. III. Diſſert. Procemial. *de Antichriſto*. Is exiſtimat, Hæreticos à *Simone* Mago originem duxiſſe, eosque omnis generis libidinibus deditos, nomine tantum ad Chriſtum pertinuiſſe; quem, perſequutionum tempore, abnegare non dubitabant. Certè oportet ipſo Apoſtolorum ævo fuiſſe peſſimos homines, qui Ψευδώνυμον γνῶσιν jactabant, 1 Tim. VI. 20. Vide eundem Apoſtolum ibid. Cap. I, 6 & 20. Sed de illa re, variis in locis additamentorum noſtrorum ad annotationes *Hammondi*, in Novum Teſtamentum, diximus.

Ooc ævo, *Quadratus* Apoſtolorum diſcipulus, & *Ariſtides* Athenienſis Philoſophus Apologias ſcripſere, pro Religone Chriſtiana, quæ interciderunt.

Supe-

A. C.

Superioris fragmentum supereſt Lib. IV. c. 3 Hiſt. Eccleſ. *Euſebii*. Habemus etiam, eodem ævo ſcriptum, *Hermæ Paſtorem*.

128.

Aquila Ponticus, primùm Chriſtianus, deinde Judæus, Vetus Teſtamentum Græcè vertit ſub Hadriano; qui haud multò poſt Jeroſolimam inſtaurare aggreſſus eſt; coloniamque eò deduxit, ac nomen loco impoſuit *Æliæ Capitolinæ*. Quod agrè ferentes Judæi, cœperunt clam ſeditionis conſilia agitare, ac tandem eruperunt, duce *Barchochebæ*, qui ſe Meſſiam jactabat, nomenque ideò ſumſerat, quod *filium ſtellæ* ſonat, כוכבא. Sed cùm ſpem Judæorum fefelliſſet, ab Hadriano oppreſſus, cum ingenti Judæorum numero dictus eſt בכוזבא *Barchozba*, hoc eſt, *filius mendacii*.

Phavorinus, de quo tam multa *A. Gellius* ſcripſit, in *Noctibus Atticis*, hoc tempore florebat, ut & *Ptolemæus* celeberrimus Mathematicus.

137.

Hadrianus adoptavit *Ceionium Commodum Verum*, quem *Ælium Verum* appellavit, & anno ſequente, unà cum adoptitio filio, obiit. Verùm paullò ante mortem adoptarat *Arrium Antoninum*, qui poſtea Pii cognomen adeptus eſt; eâ lege, ut ſibi quoque *Arrium Verum* & *M. Aurelium* adoptaret.

Succeſſit ergo ei *Antoninus Pius*, ſub quo vixere *Juſtinus Martyr*, cujus ſuperſunt nobis plura opuſcula, *Galenus* Pergamenus, Medicus celeberrimus, *Arrianus* Philoſophus Nicomedienſis, *Maximus* Tyrius, *Sextus* Chæronenſis, Plutarchi nepos, & *Lucianus* Samoſatenſis. *Marcion* & *Valentinus*, Hæretici, tunc temporis Romæ hæreſes ſuas ſpargere incipiebant.

Anto-

A. C.

161. Antonino Pio, hoc anno fato functo, succeſſerunt ambo Cæſares, *M. Aurelius Antoninus* & *L. Ælius Verus*, qui octavo pòſt anno apoplexiâ periit. Hi varia cùm in Parthos, tum in Germanos, bella feliciter geſſerunt. Attamen interdum malè habuerunt Chriſtianos; ita ut *Quarta Perſequutio*, iis imperantibus, fuiſſe dicatur.

Sub eorum Imperio, vixere *Athenæus* Dipnoſophiſtarum ſcriptor; inter Chriſtianos verò *Polycarpus*, cujus ſupereſt Epiſtola ad Philippenſes, & qui martyrium obiit; *Theophilus Antiochenus*, cujus exſtant libri ad *Autolycum*; *Melito Sardenſis* & *Athenagoras*, cujus Apologiam pro Chriſtianis & Librum de Reſurrectione habemus.

Marcus Aurelius, poſtquàm imperaſſet per annos novemdecim, novem circiter cum Vero, decem ſolus aut cum filio *Commodo*, obiit in Pannonia. Hic optimus fuit Princeps omnium, qui Romanum tenuere Imperium. Reliquit librum plenum bonâ fruge τῶν εἰς ἑαυτὸν, quem notis eruditis illuſtravit *Th. Gatakerus*.

180. Succeſſit optimo Imperatori peſſimus filius L. Aurelius Commodus, ſub quo vixere *Irenæus* Lugdunenſis Epiſcopus, & *Theodotio* Ponticus, qui Vetus Teſtamentum Græcè vertit. *Montanus* etiam, cum *Priſcilla* & *Maximilla*, Montaniſtarum hæreſi hoc tempore initium dederunt. Floruit quoque, eo ævo, *Julius Pollux*, cujus habemus *Onomaſticon*.

192. ‡ Commodus, poſt vitatas ſæpiùs inſidias, tandem oppreſſus eſt conſpiratione *Martiæ* pellicis, *Læti*, & *Electi*, Cubiculariorum; qui ei ſuffecerunt *Pertinacem*.

tinacem, qui cum tribus ferè menſibus Imperium tenuiſſet, à militibus occiſus eſt. In ejus locum ſubſtitutus *Didius Julianus*, qui poſt duos menſes eodem fato periit. Interea *L. Septimius Severus* in Pannonia, *Peſcennius Niger* in Syria, *Clodius Albinus* in Britannia Imperium invadunt. Severus paullò pòſt cum Albino pacíſcitur, oblatâ ei Cæſaris dignitate, & Nigrum prælio victum ad Euphratem interficit; ac ſexto demum Imperii anno, Albinum inſidiis appetitum aliquoties, ſine ſucceſſu, palam aggreditur. Ingens ad Lugdunum in Gallia committitur pugna, in qua multis utrimque cæſis, in acie cadens ipſe Albinus, Imperium ſoli Severo reliquit.

197.

Inter Aſiaticas & Occidentales Eccleſias, coortâ controverſiâ de Paſchate, *Victor* Romanæ Urbis Epiſcopus, qui die Dominicâ poſt decimam quartam diem poſt Novilunium, quod proximè Æquinoctium Vernum ſequitur, volebat Paſcha Chriſtianum celebrari, excommunicavit Aſiæ Epiſcopos, qui ipſâ decimâ quartâ die exiſtimabant celebrandum. Victorem ſatis animosè propterea reprehendit *Irenæus*.

Biennio pòſt, Severus *Baſſianum* filium, quem Antoninum vocaverat, & Cæſarem fecerat, ex SCTO Imperatorem creavit, alterum verò filium Cæſarem.

202.

Dicitur ſub hoc Imperatore *Quinta Perſequutio* excitata, ſed quæ non videtur admodum gravis fuiſſe. Tunc florebant *Tertullianus* & *Origenes*; prior in Africa, poſterior in Ægypto.

Cum

A. C.

211.

Cùm *Geta*, Severi junior filius, Auguſtus creatus eſſet, Antoninus ſæpiùs occaſionem quæſivit patris interficiendi; quod cùm deprehendiſſet Severus, mœrore paullatim contabuit, & mortuus quidem eſt Eboraci in Britannia; quam urbem muro per tranſverſam inſulam ducto, adverſùs Pictorum incurſiones, muniit. Imperavit annos XVII, menſes VIII, & aliquot dies.

Statim ac obiiſſet, Antoninus juſſit Medicos occidi, quod ſibi, cùm patrem veneno tolli mandaſſet, obtemperare noluiſſent; fratrem ſuum Getam annos XXII natum in ipſo matris gremio interfecit; ejuſque exitio *Papinianum* Juriſconſultum, quòd cædem illam probare noluiſſet, involvit.

215.

Agrippinus, Carthaginienſis Epiſcopus, his temporibus, Concilio habito, decrevit Hæreticos denuò baptizandos eſſe.

217.

Antoninus Imperator, cùm populatus Parthorum regnum in Meſopotamiam rediiſſet, ab *Opilio Macrino*, per *Martialem* Centurionem, è medio ſublatus eſt, poſtquàm per annos ſex imperaſſet. At ipſe Macrinus, poſt annum Imperii unum, unâ cum filio *Diadumeniano*, quem Cæſarem creaverat, à militibus eſt interfectus.

Succeſſit *Antoninus Alagabalus*, perditiſſimus Imperator. Fuerat priùs Sacerdos *Alagabali*, Emiſſenorum Dei, unde nomen etiam traxit. *Alagabal* autem אלהגבל, *Deum montem*, ſeu *Deum montis* ſignificat. Emiſſeni ſub ſpecie montis, quam cœlo delapſam credebant, Deum colebant, qui præcipuus inter eos habebatur; ut pluribus docent *Iſ.*

A. C.

Caſaubonus, & *Claud. Salmaſius* ad *Lampridii Heliogabalum*. Cultum illius Dei ſibi cognominis Romam traduxit, templumque ei in Urbe condidit.

Adoptavit ſibi patruelem ſuum *Alexandrum Mammææ* filium, quem Cæſarem appellavit. Inde poſt trium annorum & novem menſium Imperium, cum matre *Julia*, militari tumultu, Romæ interfectus eſt, & in Tiberim projectus.

222.

Alexander, Princeps optimus, Imperii habenas ſumſit. Hic dicitur *Apollonium* Tyanæum, *Chriſtum*, *Abrahamum*, *Orpheum* in Larario ſuo coluiſſe; unde Chriſtianos minùs ſub ejus Imperio vexatos legimus. Imò narratur Chriſto Templum ſtatuere voluiſſe; quod & cogitaſſe dicitur Hadrianus, qui Templa ſine ſtatuis in Civitatibus exſtrui juſſerat. Singularia jura etiam Judæis conceſſit; & ſi qui Martyres, eo imperante, fuerunt, id tribuendum Juriſconſultis quibuſdam, quorum conſilio utebatur, quique infenſiſſimi erant Chriſtianis. Emicuere inter alios *Ulpianus*, *Pomponius*, *Celſus*, *Modeſtinus*, *Paulus*, *Proculus*, & *Venuleius*, quorum reſponſis refertæ ſunt Pandectæ.

231.

Circa hæc tempora, *Origenes* utiliſſimum laborem in Vetus Teſtamentum ſuſcepit. *Tetrapla* edidit, in quibus primùm occurrebat Textus Hebræus, characteribus Hebraicis, deinde idem Græcis literis, poſtea quatuor celebres Verſiones, LXX viralis, Aquilæ, Symmachi, & Theodotionis, unde volumen Τέτραπλα dicebatur, non à numero columnarum, ſed Verſionum; erant enim quinque columnæ, quatuor tantùm Verſiones. Exemplum diſpoſitionis hic ſubjiciemus.

He-

1. *Hebraic.*	2. LXX. *Int.*	3. *Aquila.*	4. *Symmach.*	5. *Theodot.*
בראשית ברא· Βερεσὶθ βαρὰ	ἐν ἀρχῇ ἐποίησεν	ἐν κεφαλαίῳ ἔκτισεν	ἐν ἀρχῇ ἔκτισεν	ἐν ἀρχῇ ἔκτισεν.

Cùm autem, Antonini Caracallæ tempore, inventæ essent Hierichunte tres aliæ Versiones in dolio, quas Quintam, Sextam, & Septimam vocarunt; his adjectis conflatæ sunt duæ columellæ, quarum unam occupabat Quinta, alteram Sexta & Septima, quæ unius instar habebantur, quòd forte inter eas magnum non esset discrimen. Id opus sic dispositum vocabatur Ἑξαπλᾶ, quòd sex constaret Versionibus, Sextâ & Septimâ pro una habitâ. Attamen *Epiphanius*, & alii quidam Veteres hanc editionem vocant Ὀκταπλᾶ, quia rationem habuerunt columnarum, non Versionum. Nempe, duas columnas Hebraico Textui statuunt fuisse attributas, sex verò Versionibus eâ, quam modò diximus, ratione. Iidem eadem de causa Ἑξαπλᾶ vocarunt, quæ supra cum *Origene* & *Hieronymo* Tetrapla vocavimus.

In Versione etiam LXX Intt. hæc præstitit Origenes, quòd ἐν τῇ κοινῇ, seu ea quæ vulgò erat in usu, in qua multa erant adjecta, aut ab aliis Interpretibus mutua sumta, asteriscis & lineolis notaverit ea, quæ non erant Septuaginta Interpretum. Sed puram putam LXXviralem inseruit Hexaplis. Hac de re consulendus *Eusebius*, Lib. VI. c. 16. Hist. Eccles. atque ad eum *Henr. Valesius*, & *Is. Vossius* ad tertias *Ric. Simonii* objectiones. Vide & Præf. *Andreæ Masii* in Græcum Text. Josuæ, & præsertim *Humphr. Hodyum* in Opere de Bibliorum Textu Origin. &c. Lib. IV. c. 2.

A. C.

Ab hoc Origene, cujus pleraque interciderunt, multa adhuc exſtant, tanquam ex fonte perenni, Eccleſiæ Græcæ Patres, omnia fermè ſua hauſerunt; nec pauca etiam mutuatus eſt *Hieronymus*, ei licèt infenſior, & addictiſſimus ejus partibus *Ruffinus*, Presbyter Aquileienſis, qui & plura ejus vertit Latinè. Inſimulatus eſt poſtmodùm variorum errorum, de quibus videndus *Sulpitius Severus*, in Dialogis. Reverâ, in Controverſiis ad Gratiam ſpectantibus, imò & ad S. Trinitatem, aliiſque Theologiæ Chriſtianæ capitibus, valdè diverſa ſenſit ab iis opinionibus, quæ poſtea invaluerunt, in Eccleſia præſertim Latina, nimiiſque Platonicis dogmatibus addictus fuit. Eo tempore floruerunt *Gregorius Thaumaturgus* & *Julius Africanus*, qui ſummopere Origenem coluerunt.

Hoc ævo *Artaxerxes* Perſa, *Artabano* Parthorum Rege devicto & interfecto, Perſis Imperium reſtituit, vel potiùs Parthicum nomen ei detraxit. Hunc tamen vicit Alexander; paullò pòſt à militibus unà cum matre interfectus, cùm annos XIII regnaſſet.

Sub hujus Imperio vixit *Dio Caſſius*, qui Hiſtoriam Romanam ſcripſit.

235.

Succeſſit †*Maximinus*, Gottho patre, & Alanâ matre natus; quem milites, inconſulto prorſus Senatu, Imperatorem fecerunt. Hoc eodem anno, ad quem *Sextam* referunt *Perſequutionem*, *Gordiani* Pater & Filius in Africa Imperium uſurparunt; quòd cùm Romæ nunciatum eſſet, Romani, auctore Senatu, à Maximino defecerunt, & Senatus XXviros ad tuendam Rempublicam elegit. Verùm pòſt elapſum annum, Gordiani à *Capeliano* interfecti ſunt, & Maximinus ipſe, dum Aquilei-

Maximinus pay the firſt ſet was made am Emperor throut a deree of the Senate.

A. C.

am obsidet unà cum filio, è medio sublatus est. Senatus eis illico *Maximum* & *Pupienum* suffecit, sed hi, uti grati plebi, ita militibus invisi, anno sequente simili fato perierunt.

238.

Electus est ab Africanis legionibus *Gordianus* puer adhuc, qui operâ *Misithei* soceri, viri fortissimi & doctissimi, Imperium per sex annos tenuit. Sed cùm non potuisset impedire, quominùs *Philippus* Arabs eum interficeret, & Præfectus Prætorio loco ejus fieret, anno sequente, ab eodem trucidatus est.

244.

†*M. Julius Philippus*, unà cum cognomine filio Cæsare, imperium tenuit circiter per quinquennium. Quidam ex Veteribus perperam existimarunt fuisse Christianos Philippos, sicuti, post *Jos. Scaligerum*, ostendit *David Clericus*, in Quæstionibus Sacris, Quæst. XIX. Interfectus est pater Veronæ, filius Romæ à militibus.

249.

Successit *Decius*, ex Inferiore Pannonia oriundus, qui dicitur *Septimam Persequutionem* in Christianos excitasse.

Sub hoc Principe floruit *Cyprianus*, qui anno, antequàm Decius Imperium capesseret, creatus est Episcopus Carthaginiensis, post *Donatum*. Vitam ejus eruditè & eleganter descripsit *Joan. Pearsonius*. Paullò pòst ortum est in Africa schisma, in causa lapsorum in persequutione, de qua diximus; quos ad communionem nunquam admitti volebat *Felicissimus* Diaconus, quem *Novatus* & *Novatianus* Presbyteri sequuti, qui paullò pòst in Synodo Romæ habita damnati sunt.

Origen, to avoid the Persecution, Tri- sacrificed at Alexandria

A. C.

251.

Triennio pòst, Decio succeſſere *C. Vibius Trebonianus Gallus*, & *C. Vibius Voluſianus* conſors Imperii à patre factus. At hi poſt triennium, cùm adverſùs *Æmilianum* res novas in Mœſia molientem profecti eſſent, Interamnæ occiſi ſunt; fatumque eorum, menſe tertio, ipſe ſequutus eſt *Æmilianus*.

254.

Imperator in Norico factus eſt *Valerianus*, Romæ verò *Gallienus*, ſub quibus *Octava* exorta eſt *Perſequutio*.

Anno horum Imperii tertio, Cyprianus Africanorum Epiſcoporum collectâ Synodo, ſtatuit Hæreticorum baptiſmum verum non eſſe; ideoque eorum iterandum baptiſmum, quos illi baptizaſſant. Idem *Firmilianus Cæſareæ* in Cappadocia Epiſcopus, & *Dionyſius Alexandrinus* decreverunt. Utriſque *Stephanus*, Romanæ Sedis Epiſcopus, reſtitit, aliamque Italorum Epiſcoporum Synodum oppoſuit. Biennio poſt, Cyprianus, in Africa, Martyrio vitam finiit.

Hiſce temporibus, varii ex Scythia & Germania populi, *Gorani*, *Gotthi*, *Carpi*, *Burgundi* in Orientem irruperunt, quæ turbæ effecerunt, ut multi Imperatoria ornamenta induerint, ex quibus cùm Triginta præcipuè eminuerint, dicti ſunt xxx Tyranni, ducto nomine ex Athenienſium Oligarchia; quorum hiſtoriam habemus à *Trebellio Pollione* ſcriptam.

Circa hæc tempora dicitur *Sabellius*, Ptolemaide in Libya oriundus, ſparſiſſe ſententiam ſuam; quæ, ſi Veteribus credimus, in hoc ſita fuit, quòd crederet unum eundemque numero Deum certis reſpectibus Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum, dictum fuiſſe.

Vale-

A. C.
260.

Valerianus, inconsultiùs progressus ad colloquendum cum *Sapore* Persarum Rege, ab eo captus est & interfectus. Imperium Gallienus, postquàm per septem annos cum patre regnasset, solus tenuit per octo alios; adjutus tamen à fratre *P. Licinio Valeriano*, quem pater Cæsarem creaverat.

Dum deliciis totum se dederet, *Odenatus* Palmyrenorum Rex Orientem obtinuit, & adversùs Persas defendit; quo paullò pòst interfecto, *Zenobia* ejus uxor, virilis fœmina animi, rerum habenas tenuit.

Hoc ipso tempore, aiunt *Paulum* Samosatensem Episcopum Antiochenum, quòd doceret Christum fuisse duntaxat hominem, damnatum in prima Synodo Antiochena.

268.

Gallieno & Valeriano fraude interfectis successit *M. Aurelius Claudius*, qui ferè per biennium imperavit.

270.

Is cùm peste periisset, successorem habuit *Aurelianum*, qui inter laudatos Principes censetur. Hoc imperante, memoriæ proditum est, Paulum Samosatensem Antiochiæ iterum damnatum, cùm domo Ecclesiæ exire nollet, nec à Grege, quem antea rexerat, pelleretur, expulsum auctoritate Aureliani Imperatoris, licèt Ethnici; quod quibus artibus effectum fuerit, haud facile conjecerimus, quandoquidem *Eusebius*, qui hoc narrat, *Persequutionem*, quam *Nonam* vocant, sub hoc excitatam in Christianos dicit.

Hic

A. C.

275.

Hic Imperator devicit Zenobiam, eámque in Triumphum abduxit, & Rhetorem *Longinum*, qui ab Epistolis Græcis ei fuerat, quòd superbas crederetur dictasse litteras, interfici jussit. Ipse post sesquiannum *Mnesthei*, Secretariorum Notarii, fraude occisus est. Post ejus obitum, quod nunquam antea contigerat, interregnum fuit octo mensium, dum Senatus & Exercitus eligendi Imperatoris potestatem sibi mutuò deferunt. Tandem à Senatu electus est *M. Claudius Tacitus*, qui sexto Imperii mense obiit. Successit *Florianus* frater, qui, post alterum mensem interfectus, successorem habuit *M. Aurelium Probum*.

276.

Sub hujus Imperio coorta est hæresis *Manichæorum*, quæ à Babylonio servo initium duxit. Vocabatur ille *Manes*, & Babylonicâ Linguâ מאן, *Man*, id est, *vas*, adjectoque חי *dechai* viventis, dictus est *Mandechai*, μανιχαῖος, hoc est, *vas Dei*. Hic fatum Stoicum defendebat, libertatemque arbitrii homini auferebat, adeò ut omnia fieri necessariò putaret; sed vitia & peccata Deo ipsi non tribuebat, contendebat enim, cum Persis & Magis, præter Deum esse aliud *Principium* omnis mali auctorem. Plures ex veteribus Hæreticis negarant itidem libertatem, ac fatalem induxerant necessitatem, unde, *Justinus*, *Irenæus*, *Athenagoras*, *Origenes*, aliique Patres acerrimè in ejuscemodi opiniones invecti sunt.

282.

Probus Imperator, cùm in milites esset severior, dum per Illyricum iter faceret, ab illis interfectus est, postquam per sex annos imperasset.

Suc-

A. C.

Succeſſit ei *M. Aurelius Carus*, qui Cæſares creavit *Carinum* & *Numerianum* filios, qui ei, fulmine in Meſopotamia acto, intra annum ſucceſſerunt. Hos poſt intervallum haud multò longius, è medio ſuſtulit *Diocletianus* Dalmata, libertus *Anulini* Senatoris. Hiſce temporibus vixerunt *Olympius* & *Nemeſianus* Poëtæ, quorum Eclogæ aliquot haud inelegantes nobis ſuperſunt.

284.

Tum etiam floruerunt *Minutius Felix*, *Arnobius*, & haud multò pòſt *Lactantius*; qui pro Religione Chriſtiana, adverſùs Ethnicos, ſcripſerunt.

Cum in Gallia multi excitarentur tumultus, nec Britannia pacata eſſet, & ſimul ab Oriente bella ingruerent, ſeditionéſque coorirentur in Africa, Diocletianus *Maximianum Herculium*, quem Cæſarem antea fecerat, Auguſtum creavit. Paullò poſt, duos alios Cæſares ſibi allegerunt, *Maximianum Armentarium*, & *Conſtantium Chlorum*, qui in Britanniam, adverſùs *Carauſium*, qui Imperatorem ſe dixerat, miſſus eſt.

291.

Ait *Eutropius*, Diocletianum primum *regiæ conſuetudinis formam, magis quàm Romanæ libertatis, inveniſſe; adorarique ſe juſſiſſe, cum ante eum cuncti ſalutarentur; ornamenta gemmarum veſtibus, calceamentiſque indidiſſe. Nam priùs Imperii inſigne in chlamyde purpureæ tantùm erat, reliqua communia.* Verùm conſtat idem factum à Caligula, & fortè in Diocletianum acriùs invectus eſt, quem videbat inviſum eſſe Chriſtianis; primorum enim Imperatorum Chriſtianorum tempore vixit *Eutropius*.

Poſt

A, C.
302.

Poſt multa confecta bella, Diocletianus & Maximianus Herculius, *Decimam* ac graviſſimam omnium *Perſequutionem* excitarunt, adverſùs Chriſtianos. Diruerunt ubique Templa, ſi ita vocare liceat loca, in quæ Chriſtiani clam conveniebant, & libros ſacros undique conquiſiverunt, eoſque gravibus ſuppliciis à multis extorſerunt, qui propterea TRADITORES dicti ſunt. Mox adverſùs eos Cirthæ in Numidia habita Synodus, in qua qui non tradiderant, volebant Traditores a Communione arceri; at cùm plerique Epiſcopi ſuccubuiſſent, ne ſchiſma fieret, non ſunt excommunicati. Hoc habet *Auguſtinus*, contra *Creſconium*, Lib. III. cap. 26. Unde apparet tot non fuiſſe Martyras, ac jactarunt poſterioris ævi Scriptores. Sed legendus etiam hanc in rem eſt *Lactantii* de mortibus Perſequutorum liber.

304.

Hoc anno Diocletianus & Maximianus Herculius, purpurâ poſitâ, ille Nicomediæ, hic Mediolani, ad privatam vitam redierunt. Eodem tempore, Conſtantius Chlorus & Maximianus Armentarius Auguſti nuncupati ſunt, Cæſares verò *Severus* & *Galerius Maximinus*. Hi inter ſe varias Imperii Provincias regendas ac tutandas partiti ſunt.

Biennio pòſt, obiit Conſtantius Eboraci, & à toto exercitu, conſentientibus ſuffragiis, appellatus eſt Cæſar filius ejus *Conſtantinus*, &, ſequente demum anno, Auguſtus. Cùm autem Romam perlata eſſet imago Conſtantini, ſubitò *Maxentius* Herculii filius à militibus Prætorianis Imp. proclamatus eſt.

Eodem anno, *Cæcilianus* in locum *Menſurii* Carthaginienſis Epiſcopi ordinatus eſt à *Felice* Aptungitano;

A. C.

gitano; unde natum ſchiſma, cùm ii, quibus Eccleſiæ vaſa commendarat Menſurius, à Cæciliano illa reddere cogerentur; ſi modò *Auguſtino* & *Optato* Donatiſtarum adverſariis, à quibus duntaxat hæc habemus, credere fas ſit. Schiſmatici prætexebant Cæcilianam à Traditoribus ordinatum fuiſſe, quare ſibi alterum Epiſcopum *Majorinum* licitum eſſe creare exiſtimabant. Præcipuus inter hoſce erat DONATUS à Caſis-Nigris, qui nomen Schiſmati dedit.

307.

Galerius Maximianus, cùm reſciviſſet Maxentium, qui ipſius erat gener, Imperium invaſiſſe, fruſtra eum, & per Legatos, & ipſe opprimere conatus eſt. Maximianus pater ejus ſperans ſe iterum purpuam eâ occaſione ſumere poſſe, Romam è Lucania venit, ſed cùm inſidias filio ſtrueret, pulſus eſt Româ; unde in Galliam confugit ad Conſtantinum, cui Fauſtam filiam uxorem dedit, & Auguſti nomen detulit.

Anno ſequente, *Licinius*, qui antea Cæſar à Maximiano dictus fuerat, Auguſti nomen adſumſit; adeò ut hoc anno quatuor eſſent Impp. Maximianus, Conſtantinus, Maxentius, & Licinius.

Eo tempore, Donatiſtæ Synodum Carthaginem coëgerunt CCLXX Epiſcoporum, in qua decreverunt, Traditores rebaptizandos; ſi nollent, Communione arcendos.

311.

Interea Galerius edicto perſequutionem Chriſtianorum, quam antea urſerat, compeſcuit, & obiit peſtilenti vulnere conſumtus. Addit Anonymus, à *Jac. Sirmondo* editus, Imperatorem hunc ſic ebrioſum fuiſſe, ut cùm juberet temulentus ea, quæ

fieri non deberent, à Præfecto admonitus conſtituerit, ne juſſa ſua poſt prandium quiſquam faceret.

XI. EPOCHA, *Conſtantini Converſio.*

A Converſione Conſtantini Imperatoris, ad Caroli Magni Imperium, fluxerunt anni CCCCLXXXVIII, *quibus conflatur*

XI. PERIODUS.

A. C.
312.

CONſtantinus dicitur hoc anno in cœlo vidiſſe ſignum Crucis figuram referens, cum hiſce characteribus adjectis: ΕΝ ΤΟΥΤΩΙ ΝΙΚΑ, *In hoc vince*, indeque ad Chriſtum converſus. Tum in gratiam Chriſtianorum, unà cum Licinio, quem ſibi conciliaverat, varia promulgavit edicta. Maxentio verò bellum intulit, qui victus & fugiens ex Ponte, quem Tiberi impoſuerat, in fluvium cecidit.

Ab hoc tempore, multas in Africa excitarunt turbas Donatiſtæ, quorum diſſidia fruſtra per Epiſcopos aliquot componere conatus eſt Conſtantinus, ad quem querelas detulerant. Aliud etiam fecit in gratiam Epiſcoporum, quod ad ſequentem annum perperam retulit *Dionyſ. Petavius*. Edixit nimirum, ut quod ab Epiſcopis decretum eſſet, etiam in civilibus controverſiis, id ratum haberetur. Verùm edictum hoc referri debet ad A. C. 331. datum enim eſt Conſtantinopoli, quæ inſtaurari cœpit anno Domini 328; quam obſervationem habemus à *Davide Blondello*, qui eam manu ſuâ, ut & paucula alia, *Petavii* margini adlevit.

Inde

A. C.

Inde exortum inter Conſtantinum & Licinium bellum, in quo ille duobus ingentibus prœliis ſuperior, huic has Leges impoſuit; ut nempe Licinio Thraciam, Orientem, ulterioréſque tenente Provincias, Conſtantinus ab Illyriis, Occidentem verſùs, omnia haberet. Haud multò poſt *Conſtantinus* & *Criſpus* Conſtantini M. filii, & *Licinius* Licinii filius, Cæſares creati ſunt.

Eodem tempore, dicitur *Arius* Presbyter Alexandrinus docuiſſe populum in Concionibus, Λόγον non eſſe ſubſtantiæ æquè perfectæ, ac pater eſt, licèt ei ſimillimus, ὁμοίσιον eſſet; quippe cujus ſubſtantia, ante mundi creationem, ἐκ τῶν μὴ ὄντων, à Patre creata fuiſſet. *Alexander* verò, Epiſcopus Alexandrinus, qui, cum aliis pluribus credebat Λόγον prorſus eſſe ὁμοούσιον, id eſt, ſubſtantiam Rationis planè æqualem Patris ſubſtantiæ, atque æternam eſſe, Arium Eccleſiâ expulit; qui tamen aliquot ad ſuas partes Epiſcopos traxit, quos inter præcipuus erat Nicomedienſis Epiſcopus *Euſebius*.

Philoſtorgius, qui ſcripſerat Hiſtoriam Eccleſiaſticam à temporibus Synodi Nicænæ, ad Theodoſii Junioris tempora, cujus Hiſtoriæ fragmenta & breve Compendium ab homine Homoouſiano factum ſupereſt, teſtatur quendam *Alexandrum*, cognomine *Baucalam*, rixas concitaſſe inter Arium & Epiſcopum Alexandrum, & inde *inventam conſubſtantialis prædicationem*. Fuit quidem Arii ſententiæ addictus *Philoſtorgius*, ſed nulla eſt cauſa, quare ei nihil, omnia, ut fieri ſolet, contrariarum partium hominibus credamus.

324.

Circa idem tempus Licinius cœpit, in odium Conſtantini, Chriſtianos vexare, & paullò pòſt in apertum bellum erupit; ac aliquot prœliis cum ter-

A. C.

râ, tum mari, à Conſtantino victus in ordinem redactus eſt; tandémque cum *Martiniano*, quem Cæſarem creaverat, quòd non poſſent abſtinere à moliendis rebus novis, juſſu Conſtantini, obtruncatus.

325.

Cùm adhuc vigeret controverſia de die celebrationis Paſchatis, cujus ad tempora Victoris Epiſcopi Romani meminimus, & Arium inter ac Homooúſianos augerentur lites; convocata eſt, ex toto Romano Imperio, Synodus Nicæam, in quam convenere CCCXVIII Epiſcopi. Cœpit 14 Junii, & 25 Auguſti dimiſſa eſt.

Decretum eſt in hoc Concilio, ut omnes eadem die Paſcha celebrarent, nempe Dominicâ proximâ poſt 14 Lunam, poſt Æquinoctium renovatam. Conflatum etiam Fidei Symbolum, in quo conſecrata eſt contraria Ariano dogmati ſententia, quam memoravimus. Symbolum ſuppeditabit *Socrates*, Lib. I. cap. VIII. Hiſtor. Eccleſ.

Verùm, quia hæc Synodus prima Oecumenicarum habetur, præter ſolitum, paullò plura de ea dicemus.

Primùm, ingentes erant inter Epiſcopos rixæ, quòd diſertis verbis affirmat *Euſebius*, Cap. XIII. Lib. III. de Vit. Conſt. licet gravi oratione Conſtantinus eos ad pacem hortatus eſſet. Οἱ μὲν ἀρξάμενοι κατηγόρουν τὸς πέλας, οἱ δὲ ἀπελογοῦντό τε, καὶ ἀντεμέμφοντο, &c. *Alii incipientes accuſabant proximos, alii ſe defendebant, & contrà accuſabant.* Nec aliter ſunt compoſitæ eorum lites, quàm in ignem conjectis eorum libellis ſupplicibus.

De ſenſu Symboli Nicæni non levis eſt controverſia, qua de re legenda Diſſertatio *Steph. Curcellæi, de Vocibus Trinitatis*, &c. ubi oſtendit, tres Deos pares à Nicænis creditos Patribus. Quinque

fuere

fuere Episcopi, qui noluerunt subscribere, *Eusebius Nicomediæ*, *Theognis Nicææ*, *Maris Chalcedonis*, *Theonas Marmaricæ*, & *Secundus Ptolemaidis*. Hi negarunt, se posse admittere τὸ ὁμοούσιον, quod id *consubstantiale* dicatur, quod ex alio est, vel partitione, vel fluxu, vel eruptione: eruptione quidem, ut ex radicibus germina; fluxu, ut ex parentibus liberi; partitione verò, ut ex auri massa duæ vel tres phialæ; nullo autem ex his modis Λόγος sit Filius Dei. Synodus verò, sine partitione quidem Filium à Deo esse dixit, qualis esse posset in rebus corporeis, sed usa est voce ὁμοούσιον, quæ tantùm æqualitatem substantiæ, non unitatem numericam, sonat.

Eusebius Cæsarienſis, qui juxta Imperatorem in Synodo sedit, primùm dubitavit, an esset admittenda vox ὁμοούσιος, sed tandem adhibitâ interpretatione admisit. " Hanc nimirum vocem approbasse se dicit, pacis causâ, quemadmodum etiam " hasce, γεννηθέντα, ἀ ποιηθέντα, *genitum, non factum*, quia *factum* verbum esse dicebant commune reliquis omnibus creaturis, quæ per Filium factæ sunt, quibus nihil simile habeat Filius; ac proinde eum non esse *facturum*, his, quæ per ipsum facta sunt, similem, sed longè præstantioris quàm omnes creaturas esse substantiæ; quam quidem ex Patre esse divina decent oracula, arcano quodam generationis modo. *Consubstantialem esse Patri*, nihil aliud significare, quàm Filium Dei nullam cum creaturis ab ipso factis similitudinem habere, sed solius Patris, à quo genitus sit, *per omnia similem esse*, κατὰ πάντα τρόπον ἀφομοιῶσθαι, neque ex alia hypostasi, seu substantia, sed ex Patre esse." Hæc quæ petita sunt ex Epistola Eusebii Cæsarienſis, quam habet *Socrates* loco laudato, & alia satis ostendunt,

A. C.

dunt, Patres Nicænos aliud ſenſiſſe, quàm nunc ſentiunt Chriſtiani.

Ariani etiam ipſi tandem ſeſe accommodarunt, exceptis Theona & Secundo, Symbolo Synodi, & admiſſi ſunt; ſed eâ lege, ut prodidit *Athanaſius* in Apologia II, ne Arius, qui & ipſe admiſſus fuerat, Alexandriam rediret. Anno ſequente, idem Athanaſius in locum Alexandri ſuffectus eſt, quia etiamnum Diaconus Ario vehementiſſime adverſatus fuerat. De eo multa habet parum honorifica *Philoſtorgius*, quæ fortè non ſunt veriora iis, quæ Homoouſiani dixere de Ario; ſed nec magis quàm hæc rejicienda, nam magnis affectibus utrimque laboratum.

326.

Eodem anno, Synodum proximè ſequuto, Criſpus Cæſar, quòd in ſuſpicionem inceſtæ cum noverca conſuetudinis veniſſet, jubente Patre, occiſus eſt. *Fauſta* verò in alterum annum aſſervata in balneo ſuffocata eſt, quòd crederetur falſò Criſpum detuliſſe. Conſtantini crudelitatem *Ablavius*, qui poſtea Conſulatum adeptus eſt, notavit hoc diſticho:

Saturni aurea ſæcla quis requirat?
Sunt hæc gemmea, ſed Neroniana.

Tum etiam Conſtantinus & Helena varias in Judæa ſtruxerunt Baſilicas, Jeroſolimæ, in monte Olivarum, & Bethlehemi, de quibus *Euſebius* in vita Conſtantini.

330.

Synodus Nicæna definitione ſuâ nequaquam exſtinxit diſſidia. Ingentes erant lites in Ægypto, inter Arianos & Athanaſianos; quibus ſcriptores Ho-

A. C.

Homoousiani ita favent, ut alios per omnia damnent. Contigit hoc anno tumultus, eadem de causa natus, Antiochiæ, quem post *Baronium* perperam ad annum 324 retulit *Petavius*, & frustra citat *Eusebium*, cùm hic de Vit. Const. Lib. III. p. 60, alia prorsus narret, & quæ quinque annis post Synodum contigerunt, ut ostendit ad Eusebii locum *H. Valesius*. *Paulino Antiocheno Episcopo mortuo, magna de successore subrogando ibidem orta contentio: cùm Ariani vehementer optarent, ut eò Cæsarienſis Eusebius transferretur.* *Euseb.* Lib. III. de vita Constantini, Cap. 57. *Tandem ordinatus est Eustathius Catholicus & laudatus antistes.* *Theodor.* Lib. I. cap. 7. Rectè ad marginem *Petavii* notavit *D. Blondellus: malè, quæ enim refert Eusebius ad Eustathii depositionem pertinent.* Potuisset & addere non Arianos, sed Eustathium seditionis causam fuisse, quem τῆς στάσεως αἴτιον vocat *Eusebius* loco laudato.

Hoc eodem anno dedicata est urbs *Byzantium*, quam ante biennium instaurare cœperat Constantinus, & nomine Imperatoris *Constantinopolis* dicta. Hinc Orientis Metropolis facta est, & ΝΕΑ ΡΩΜΗ appellari cœpit.

333.

Constans, Constantini Filius, Cæsar hoc anno creatus est. Sarmatæ circa idem tempus aliquoties victi, servique eorum rebellantes in deditionem accepti, sunt per Macedoniam, Thraciam, Italiamque divisi.

335.

Cùm esset *Dalmatius*, Dalmatii Constantini Imperatoris fratris filius, ad Cæsaris dignitatem subvectus; ita divisum est inter Cæsares Imperium,

A. C.

ut *Conſtantinus* Minor Gallias, Orientem *Conſtantius*, Africam, Illyricum, & Italiam, *Conſtans* tueretur, dum *Dalmatius* in ripa Gothica excubias ageret.

Tunc & Athanaſius in Synodo Tyria damnatus, quod malis artibus Epiſcopatum Alexandrium adeptus eſſet, & alia graviora, ſi *Philoſtorgio* credere licet, commiſiſſet. Vide Lid. III. §. 11. Certè licet *Philoſtorgius* faveret Ario, eum reprehendit, ubi in errorem delapſum credidit, adeoque potuit & in aliis candidè ſe gerere. Vide Lib. II. §. 3. Athanaſius, ſequente anno, à convocatis Conſtantinopolin Epiſcopis, iiſdem, qui eum Tyri damnaverant, cùm iterùm accuſaretur, à Conſtantino in exſilium Treverim in Galliam miſſus eſt. Hoc anno mortuus dicitur Arius, miro Dei judicio, ut adverſarii ejus poſtmodum dixerunt. Verùm acriores fuerunt tunc rixæ, quàm ut alterutri parti ſatis fidere poſſimus.

337.

Hoc anno mortuus eſt Conſtantinus M. Imperator, poſtquàm rerum habenas per 31 annos tenuiſſet. Tres Auguſti ſtatim renunciati ſunt, *Conſtantinus*, *Conſtantius*, & *Conſtans*, qui Imperium inter ſe partiti ſunt. Erant & Imperii quodammodo participes, *Dalmatius* Cæſar, *Conſtantius* Conſtantini M. frater, & *Anaballianus* coccineâ & auratâ veſte donati à Conſtantino & *Nobiliſſimi* facti; de qua dignitate videndus *Joan. Meurſius in Lexico Græcobarbaro* in voce ΝΩΒΕΛΛΙΣΙΜΟΣ. Sed hi tres militari ſeditione, milites incitante, aut connivente Conſtantio, interfecti ſunt; unaque cum iis *Optatus* Patricius (*Vide laudatum ſcriptorem in* ΠΑΤΡΙΚΙΟΣ) à Conſtantino creatus; novâ excogitatâ dignitate, quâ, qui fruebantur, ſedebant ſupra Præfectum Prætorio. Periit & *Ablavius*, Præ-

A. C.

Præfectus Prætorio. Apparet ex *Philoſtorgio* ſparſum rumorem fuiſſe, Conſtantinum à fratribus veneno ſublatum; & cùm inſtare ſibi mortem ſentiret, ſcripſiſſe Teſtamentum, quo jubebat eum ex filiis ſuis, qui primus Nicomediam, ubi obiit, veniſſet, mortem ſuam ulciſci. Hoc fortè prætextu uſus Conſtantius, qui primus adfuit, eos omnes interfici curavit.

341.

Athanaſius eſt à Conſtantino Juniore ab exſilio honorificè revocatus; qui paullò pòſt, cùm bellum Conſtanti fratri moveret, ac latrocinii ſpecie in ejus fines irrumperet, interfectus eſt. Inde Athanaſius ad Antiochenam Synodum vocatus, ubi ſederunt centum circiter Epiſcopi, quorum tertia pars Arii ſententiis adhærebat, damnatus eſt, eique exauctorato ſubſtitutus *Gregorius* Cappadox. Interea *Julius*, Epiſcopus Romanus, in Synodo Romæ congregata, Athanaſium abſolvit, Synodúmque Antiochenam damnat; Athanaſius verò Alexandriam repetens ingentem adverſus Gregorium excitavit ſeditionem, in qua & Cæſariani milites & cives plures interfecti ſunt. Eodem tempore, cùm in locum Euſebii, qui Nicomediâ Conſtantinopolin tranſlatus fuerat, ſubſtitutus *Macedonius* ab *Hermogene* Imperatoris Præfecto introduceretur, Hermogenes à plebe Homoouſiana diſcerptus eſt, cùm hæc vellet Paulum olim ejectum reſtituere.

Tum *Photinus*, Marcelli Ancyrani diſcipulus, dicitur ſententiam ſuam de Chriſto edidiſſe, quæ haud diverſa fuit, quatenus quidem eam ex Veteribus colligere poſſumus, à ſententia Pauli Samoſatenſis, cujus ſub Aureliano Imperatore meminimus.

Novum

A. C.

344.

Novum Antiochiæ Concilium ab Arianis celebratum eſt, ubi nova Confeſſio fidei facta eſt, præter aliam quæ in priore Antiochena Synodo facta fuerat, in qua ὑσίας vocabulum omiſſum fuerat. Poſterior dicebatur eſſe *Luciani* Martyris, quem Alexander Epiſcopus Alexandriæ & *Philoſtorgius* in Arii ſententia fuiſſe teſtantur. Vide *Sozomenum* Lib. III. cap. 5. In hac Fidei Confeſſione, Lucianus & Ariani Filium conſubſtantialem dicere detrectantes, dicunt eum eſſe, ἄτρεπτόν τε καὶ ἀναλλοίωτον τῆς θεότητος, ὑσίας τε, καὶ βυλῆς, καὶ δυνάμεως, καὶ δόξης ἀπαράλλακτον εἰκόνα, καὶ πρωτότοκον πάσης κτίσεως, *immutabilem & converſioni non obnoxium, ad divinitatem quod attinet, eſſentiæ verò, conſilii, & potentiæ Patris immutabilem imaginem, primogenitum omnis creaturæ. H. Valeſius* vertit ἀπαράλλακτον *nullatenus diſcrepantem*, verùm licet hoc ſenſu vox ea ſæpe occurat, ſignificat etiam *immutabilem*; quo fit, ut credam Lucianum voluiſſe Symbolum conſcribere iis vocibus, quæ ab utraque parte probarentur, quod ſæpe in hac controverſia factum eſt.

347.

Dum contra Perſas Conſtantius bellum gerit, Conſtans in Occidente de reſtituendo Athanaſio Alexandrinis cogitat; & propterea, fratre conſentiente, Synodum Sardicam, urbem in Illyrico ſitam, in Thraciæ & Myſiæ confinio, convocat. Conveniunt CCCLXX Epiſcopi, quorum cùm plerique Homoouſiani eſſent, abſolvitur Athanaſius; at dilapſi inde Ariani Epiſcopi Philippos coëunt, & condunt ibi contraria decreta, quæ Sardicenſia etiam vocant. Nec fuiſſet Athanaſius Alexandri-

am

A. C.

am revocatus, niſi Gregorio ab Homoouſianis interfecto, minacibus Conſtantis litteris permotus Conſtantius eum, pacis cauſâ, biennio poſt Sardicenſem Synodum, reſtituendum cenſuiſſet.

350.

Hoc anno Conſtans occiſus eſt à *Magnentio*, qui in Galliis Imperium arripuit. Idem fecere *Vetranio* Magiſter in Pannonia, & *Nepotianus* Romæ, ſed reliquos brevi oppreſſit Magnentius; & ipſe à Conſtantio, anno poſt adſumtum Imperium, opprimendus.

Eodem anno, quo cecidit Magnentius, habita eſt Synodus Sirmii, in qua Photinus damnatus eſt. Ariani fermè omnes erant, qui coiere Epiſcopi, nec minus tamen probati ſunt aliis eorum Canones. Tunc creditur orta *Paganorum* appellatio, cùm videlicet Conſtantius milites omnes Chriſtianiſmum amplecti juſſit, ac detrectantes axauctoravit, *Paganoſque* eſſe voluit.

Cùm in Magnentium iret Conſtantius, *Conſtantium Gallum* patruelem ſuum Cæſarem fecit; ſed poſt quadriennium, poſt multa crudeliter geſta, hominem interfici curavit. *Julianus* Galli frater vix evaſit, & paullò pòſt Athenas, ſtudiorum cauſâ, miſſus eſt.

357.

Circa idem tempus, in Arelatenſi & Mediolanenſi Synodis, damnatus eſt Athanaſius, pluresque Homoouſiani in exſilium acti, *Liberius* Romanus, *Euſebius* Vercellenſis, *Hilarius* Pictavienſis, aliique Epiſcopi. Liberius, poſt duorum annorum exſilium, Athanaſii damnationi ſubſcripſit, & Confeſſionem edidit; in qua τῷ ὁμοουσίῳ vocabulum omiſſum erat, tametſi Filium per omnia Patri ſimilem eſſe aiebat. His temporibus, diſtingui cœperunt

Ariani

A. C.

Ariani in Homoiousianos & Anomœos; quorum primi per omnia ὁμοίσιον Patri Filium aiebant, alii ἀνόμοιον contendebant, si modò Veterum fide standum.

Julianus, qui Cæsar à Constantio creatus fuerat, multa egregia edidit in Galliis & Germania facinora; dum Sarmatas invaderet Constantius.

Post celebratam Ancyranam Synodum, in qua damnati sunt Anomœi, & varia designata loca, in quibus generale Concilium haberetur, tandem decretum est duplicem habitum iri Synodum, Orientalium *Seleuciæ*, in Isauria, Occidentalium *Arimini*, in Italia.

359.

Seleuciæ, ortâ contentione inter Homoiousianas & Anomœas partes, hæ tandem inferiores fuerunt, & approbata est Fides primæ Antiochenæ Synodi anno 341 celebratæ, in qua tantùm omissa erat vox ὁσία.

Ariminum cccc Episcopi convenerant, quorum quarta ferè pars Ariano dogmati favebat; in qua post rixas, & moras plures, plerique subscripserunt Confessioni, in qua duntaxat Filius Dei creatura, sicut reliquæ creaturæ, esse negabatur.

Sequente anno, dicitur Macedonius, Constantinopoli pulsus, dogma suum de Spiritu Sancto promulgasse. Hic negabat quidem, cum reliquis Arianis, Filium esse Patri consubstantialem, & similem duntaxat per omnia contendebat; at Spiritum palam *creatum*, κτιστὸν, dicebat. Vide *Theodoritum* Histor. Ecclesiast. Lib. II. cap. 6. Ei successit *Eudoxius* Anomœus, Antiochenus antea Episcopus; quo decedente, ingens ortum est dissidium Antiochiæ. Erant qui *Eustathium*, anno cccxxx ejectum,

A. C

um, ſequetentur; alii *Meletium*, qui ab Eudoxii fautoribus ordinatus fuerat, & Arianiſmum deſeruerat; alii denique, Arianum dogma ſequuti, utriuſque communionem, duce *Euzoio* Epiſcopo, vitabant.

362.

Per aliquot annos, inter Conſtantium & Julianum æmulatio ingens latuerat, ſed tandem eruperat, & bellum illaturus erat Conſtantio Julianus; niſi Conſtantius, è Perſico bello rediens, obiiſſet. Tunc Julianus Ethniciſmum palam profeſſus eſt, &, apertis Deorum Templis, Pontificem Maximum egit. Hic blanditiis plures ad Ethniciſmum compulit, & diviſiones inter Epiſcopos, ſponte ſuâ plus ſatis commotos, fovit.

Lucifer Calaritanus initium fecit Schiſmati, quod ex eo originem duxit; quòd ipſe & ſectatores ejus nollent cum lapſis communicare.

Hoc tempore florebant Philoſophi plures, *Themiſtius*, *Libanius*, aliique; quibus maximè favit Julianus, doctiſſimus & fortiſſimus Princeps, & in quo vix quicquam reprehendatur, præter Ethnicam ſuperſtitionem. Aggreſſus eſt inſtaurare Templum Jeroſolimitanum, ſed opus perfici non potuit. Eodem anno, bellum gerens in Perſas, cùm ſine lorica prælium iniviſſet, lethale vulnus, incertum à quo, accepit.

363.

Jovianus Imperator à militibus confeſtim electus eſt, antea Domeſticorum Ordinis primus; qui, pace cum Perſarum Rege initâ, Conſtantinopolin rediit, ubi Homoouſianum ſe profeſſus eſt. Ethnicorum Templa clauſit, permiſitque, quod Julianus vetuerat, Chriſtianis Artium liberalium Profeſſoribus

A. C.

bus ludos aperire. Ei anno ſequente mortuo odore, ut aiunt, prunarum, ſuffectus eſt *Valentinianus*; qui creatum *Valentem* Auguſtum Conſtantinopoli ad regendum Orientem, ipſe in Occidentem concedens reliquit. Tum Ariani, Semiariani (ſic *Homoiouſianos* vocabant) & Homoouſiani omnia tumultibus, in Oriente præſertim, miſcebant, & Valens quidem Arianis favebat.

Gregorius & *Baſilius*, qui monaſticam antehac vitam coluerant, ſolitudinem reliquerunt; ut invaleſcentibus Arianis adverſarentur, & τὸ ὁμοούσιον defenderent.

367.

Cum mortuus eſſet Liberius, tam fœdè de Romano Epiſcopatu contenderunt *Damaſus* & *Urſicinus*, ut uno die 137 cadavera in Baſilica *Sicinini* reperta ſint. Damaſus tandem ſuperior fuit, ideoque, ut fieri ſolet in Eccleſiaſtica Hiſtoria, ubi omnia ex eventu dijudicantur, dicitur legitimè electus. Vide *Symmachi* auctarium Epiſtolarum in Edit. *Franc. Jureti.*

Eodem anno Valentinianus filium *Gratianum* è Tribunali Auguſtum creavit, dum Valens pluribus cum Gothis concertaret præliis.

Hiſce temporibus vivebant *Didymus* Alexandrinus, vir doctiſſimus, licèt oculorum uſum à quinto ætatis anno amiſiſſet, *Ruffinus* Aquileienſis, qui varia Origenis opera Latinè vertit, Baſilius Cæſarienſis Epiſcopus, Gregorius Saſimorum in Cappadocia.

371.

Memoriæ proditum eſt, quaſi ſingulare quippiam, Valentinianum permiſiſſe *Aram Victoriæ* in Capitolio ſtare, eique Ethnicos Senatores ſacra facere; qua

A. C.

qua de re gratias ei egit *Symmachus*, vir eloquentiſſimus, cujus ſuperſunt opuſcula. Reverà uterque Codex & Theodoſianus & Juſtinianæus pleni ſunt Reſcriptis, adverſus Ethnicos & Hæreticos, admodum ſævis; adeò ingenium, ut ita dicam, Chriſtianæ manſuetudinis temporibus illis ignotum erat.

374.

Auxentio Mediolanenſi Epiſcopo ſucceſſit *Ambroſius*, octavo die, poſtquam baptizatus fuerat, electus Epiſcopus. Vivebant tunc *Hieronymus*, *Epiphanius*, *Auguſtinus*, ſed nondum ad fidem converſus, & *Martinus* Turonenſis Epiſcopus; quem innumera edidiſſe miracula ſcriptor æqualis *Sulpitius Severus*, cum in *Hiſtoria*, tum in *Dialogis*, affirmat. Verùm omnibus illis περιπολογίαις præferri meritò queat, quod narratur de Martini judicio de Hæreticidis; quibuſcum communicare noluit, nec niſi ſemel, atque invitus, fecit, urgente Maximo Tyranno, ut idem docet, Hiſt. Sac. Lib. II. & Dial. III. de virtut. S. Martini, c. 13.

375.

Valentiniano mortuo, Imp. præter Gratianum, electus etiam eſt *Valentinianus* frater hujus junior, & anno ſequente Valens in Thracia à Gotthis victus eſt, nec cadaver ejus uſquam repertum; cum barbari villam, in quam ex acie deportatus fuerat, incendiſſent. Inde per totam Thraciam & Mœſiam Gotthi latè vagati ſunt, & aliquando etiam ad portas Conſtantinopoleos pervenerunt, ſed à civibus repulſi ſunt.

379.

Cùm Oriens egeret viro ſtrenuo, qui barbarorum incurrentium ferociam retundere poſſet, Gratianus M

A. C.

tianus creavit Imperatorem *Theodosium*, & in Occidentem abiit. Paullò post Theodosius Gotthos fudit & expulit ex Thracia:

Tunc Antiochiæ habitum est Concilium, in quo inter *Meletium*, & *Paulinum*, qui Eustathio successerat, convenit, ut uno fato functo superstes solus Episcopus esset. Damnatus præterea est *Apollinaris* Laodicenus, quem aiunt dixisse, Verbum unitum tantùm fuisse carni Christi, non animæ, & animam remansisse in peccato. Vide *Theodoritum*, Lib. V. c. 3. Verùm ita absurdè eum ratiocinantem inducunt adversarii, ut non exigua inde nascatur dubitatio, an satis fideliter sententiam ejus referant.

In Antiochena Ecclesia, verbis utor *Henr. Valesii*, ingens fuit controversia de vocábulo *hypostasis*, cum alii tres hypostases assererent in Trinitate, Meletiani scilicet; alii verò, Eustathiani nempe, unam dicerent hypostasin. Athanasius in Alexandrino Concilio eos inter se conciliaverat, decernens, ut sola professio fidei Nicænæ exigeretur; suppressâ hypostaseon mentione, ut videre est in Epistola Synodica Athanasii ad Antiochenos. Post hujus tamen Concilii decretum, mansit hæc controversia in Ecclesia Antiochena, ut testatur *Hieronymus*, Epist. LVII. ad Damasum. *Valesius* censet, eos verbis tantùm divisos fuisse, quod verum est; sed λογομαχία in eo sita non erat, quòd qui affirmarent μίαν εἶναι ὑπόστασιν unam substantiam numero intelligerent; qui verò τρεῖς ὑποστάσεις, tres personas, licèt unius numero substantiæ participes, crederent. In hoc fuit ambiguitas, quòd qui ὑπόστασιν μίαν dicerent, intelligerent unam esse specie substantiam, alii verò affirmarent esse τρεῖς ὑποστάσεις numero, licèt de unitate speciei consentirent cum aliis, ut aliis cum ipsis de Trinitate substantiarum conveniebat. Origo contentionis, seu

potius

potius obſcuritatis vocis ὑπόστασις, hæc eſt, quòd ea vox duo ſignificet; alterum, nempe, in uſu apud Philoſophos, alterum in ſermone vulgi. Philoſophi ὑπόστασιν vocant ὕπαρξιν, hoc eſt, exſiſtentiam rei alicujus, non rem ipſam. Exempla attulit *Guil. Budæus*, in Comment. Linguæ Græcæ, p. 138. & 244. Hoc ſenſu quidam dicebant, tres eſſe hypoſtaſes, hoc eſt, in divinitate tres fuiſſe ſubſtantias ſeorſim exſiſtentes, licet ὁμοουσίους, *æquè perfectas, & ejuſdem ſpeciei.* At ſenſu vulgi, ὑπόστασις non eſt exſiſtentia rei, ſed ipſa res, οὐσία; quo ſenſu *Paulinus* Euſtathianus μίαν ὑπόστασιν, hoc eſt, ſubſtantiam Filii & Spiritûs Sancti non eſſe diverſæ naturæ aſſeverabat. Exempla hujus notionis habet idem *Budæus*, p. 496. A Sardicenſi Synodo, cujus verba habentur apud *Theodoritum*, Lib. II. c. 8. Anathemate percutiuntur, qui dicunt Patris, Filii, & Spiritûs Sancti διαφόρους eſſe ὑποστάσεις, & affirmatur eſſe μία ὑπόστασις, ἣν αἱρετικοὶ οὐσίαν προσαγορεύουσι, *una hypoſtaſis, quam hæretici vocant* οὐσίαν. Diſerté, in hiſce Synodi verbis, Hæretici dicuntur οὐσίαν vocare, quod Catholici ὑπόστασιν; at *Hieronymus* aliâ voce non utitur, ubi dicit, *Totam ſæcularium litterarum Scholam nihil aliud* ὑπόστασιν, *niſi* οὐσίαν *noſſe*, in Epiſt. ad Damaſum; & ſic innumeri alii loquuti ſunt.

Gregorius Nazianzenus Conſtantinopolin ivit, cœpitque ita populum eruditionis admiratione trahere, ut Sedis illius Epiſcopatum adepturus fuiſſet; ni obſtitiſſet *Petrus* Alexandrinus, qui *Maximum* ex Cynico Chriſtianum factum ejus abſentis loco ſubſtitui malis artibus curavit. Attamen auctoritate Theodoſii, pulſis *Demophilo* Ariano, & Maximo, in Eccleſiam Conſtantinopolitanam haud multò pòſt intromiſſus eſt.

A. C.
381.

Tunc convocata est secunda Synodus, quæ Oecumenica dicitur, in eam Urbem, & primùm quidem Meletius Antiochiâ cum aliquot aliis Episcopis, antequàm Synodus coiviſſet, Gregorium confirmavit. Inde cum Meletius mortuus fuiſſet, & *Flavianus* ei ſubſtitueretur, renitente Gregorio, propter pactum, de quo antea diximus, ortâ contentione, adventu Ægyptiorum Epiſcoporum, eò res devenit, ut Gregorius ipſe Epiſcopatu ſponte ceſſerit. Poſtea Canon eſt adverſus Macedonium editus.

Sequente anno, *Maximus* in Britannia Imperium arripuit, & Treveris ſede Imperii collocatâ, *Victorem* filium Imperii conſortem fecit. Paullò pòſt, per *Andragathium* ducem, Gratianum à ſuis deſertum occidit; dum in Oriente Theodoſius *Arcadium* filium Auguſtum crearet.

385.

Burdegalæ habita eſt Synodus contra *Priſcillianum* Abilenſem Epiſcopum in Hiſpania, & aliquot alios; qui nefandarum libidinum rei facti, ſecuri ſunt percuſſi, eorumque diſcipuli interfecti. Hoc ſupplicium *Idacius* & *Ithacius* Epiſcopi ita urſerunt, ut crediderit Martinus Turonenſis, ſibi ab eorum communione abſtinendum, qua de re conſulendus *Sulpitius Severus*, locis antea memoratis.

Eodem tempore, *Hieronymus* in Palæſtinam conceſſit, & *Auguſtinus* ex Manichæiſmo converſus eſt; niſi quòd numquam fatalem neceſſitatem, & quæ de libertate hominis Manichæi ſentiebant, penitus abjecit.

Valentinianus Junior, circa hæc tempora, edictum in gratiam Arianorum edidit, ut Theodoſius contrà in gratiam Homoouſianorum multa fecit; ita

A. C.

ita ut pii Antiſtites non minùs auctoritate Principum, quos ſibi conciliare poterant, quàm contumeliis & Anathematiſmis pugnarent.

388.

Circa hæc tempora floruit *Cyrillus* Hieroſolymitanus, & inclareſcere cœperunt Hieronymus & Joannes Antiochenus Presbyter, qui *Chryſoſtomus* dictus eſt; & biennio quidem poſtquàm Presbyter factus fuerat, cùm Antiocheni ſtatuas Theodoſii evertiſſent, eas habuit Orationes, quæ Ἀνδριάντες dicuntur. Eodem tempore *Maximus* Tyrannus à Theodoſio victus & interfectus eſt, ad Aquileiam; nec diu ei ſuperſtes fuit Victor filius, quippe in Galliis ab *Arbogaſto* Comite obtruncatus. Theodoſius, quæ Maximo abſtulerat, ea Valentiniano reſtituit. Biennio pòſt, cùm militum Præfectus à Theſſalonicenſibus occiſus fuiſſet, juſſit Theodoſius ingentem in ea urbe promiſcuæ plebis fieri cædem; qua de cauſa Eccleſiâ Mediolani ab Ambroſio excluſus, publicè pœnitentiam egit; nec priùs admiſſus, quàm per aliquot menſes eadem feciſſet, quæ ſolebant alii pœnitentes. Præterea Legem tulit, ut latæ ſententiæ exſequutio ad trigeſimum diem differretur.

Valentinianus eodem anno legem etiam tulit de Diaconiſſis & conſecratis Deo fœminis, ne quid Eccleſiis darent; ſed paullò poſt abrogata fuit, quod fatum ſemper fuit omnium Edictorum, quæ Clericis aliquid demere videbantur. Idem contigit ſanctioni ejuſdem Imperatoris, quâ edixerat, ne Monachi Urbes intrarent, ſed uti loca ſola habitarent; antiquata enim eſt anno pòſt tertio.

A. C.

391.

Eugenius, nixus auxilio Arbogasti Comitis, Imperium in Occidente invasit, & Valentinianus paullò pòst, vulnere ab Arbogasto ad Viennam accepto, obiit. Erat tunc Catechumenus, & ante expeditionem, quam in barbaros moliebatur, baptizari cupierat ab Ambrosio. Sed licèt sine baptismo obierit, in Oratione ejus funebri Ambrosius salutem eum consequutum esse dicere non dubitavit.

Tum cœperunt exoriri ingentes rixæ, circa Origenis sententias, inter *Joannem* Jerosolimitanum & *Epiphanium* Cyprium Salaminis Episcopum; cujus Epistola de Joannis Jerosolimitani erroribus exstat, Latinè ab Hieronymo versa. Favebant iisdem opinionibus *Palladius* Galata & *Ruffinus* Presbyter Aquileiensis. Vide hac de re *Sulpitii Severi* Dialogos, & Origeniana *P. D. Huetii*.

Theodosius, comite Honorio, quem antecedente anno Augustum creaverat, contendit contra Arbogastum & Eugenium; commissaque pugnâ, primo die inferior fuit, sequente superior, ventis, ut aiunt, pro illo pugnantibus. Anno, qui hanc victoriam sequutus est, obiit Theodosius. Postea Arcadio ejus filio, cui Orientem reliquerat, Imperium sustulisset *Ruffinus*; ni à *Stilichone*, Honorii duce, cæsus & interfectus fuisset.

Tunc Augustinus, qui ante quinquennium Presbyter ordinatus fuerat, creatus est Hipponensis Episcopus. Florebat eodem tempore Latinorum Poëtarum ultimus *Claudianus*.

In opprimendo Ruffino adjutor fuerat Stilichoni *Eutropius*, sed diu illis non convenit. Priorem in Orientem ire volentem hostem Reip. ab Imperatore & Senatu dici curavit Eutropius, Africamque imperio Honorii per *Gildonem* eripere tentavit, quod initio

A. C.

initio quidem feliciter cesserat; sed *Mascezel*, frater Gildonis, acceptis à Stilichone copiis, fratrem vicit, atque ad suspendium victoriâ adegit, & ipse mox jussu Stilichonis è ponte in flumen dejectus est.

398.

Joannes Chrysostomus Patriarcha Constantinopolitanus creatus est, vir non minùs severiori disciplinæ addictus, quàm eloquentiâ eximius.

Eo Constantinopolitanam Ecclesiam regente, *Gainas*, cui confidebat Eutropius, initâ cum Barbaris societate, ita eum fefellit, ut mox ei exitium creaverit. Post multas excitatas turbas Constantinopoli, tandem ipse in Thracia interfectus est.

Eodem tempore *Theophilus* Alexandrinus Episcopus, collectâ Synodo, Origenem ejusque sectatores damnari curavit. Origenistas Monachos Ægyptios malè habuit, qui frustra ad Chrysostomum confugerunt.

400.

Tum *Alaricus*, Gotthorum Rex, Italiam vastavit, & ab Honorio Gallias & Hispanias incolendas accepit.

Hisce temporibus variæ habitæ sunt in Africa Synodi contra Donatistas; qui tandem, cùm rationibus nihil proficeretur, vi sunt domiti, quod licitum fuisse defendit Augustinus in Epistolis ad *Vincentium* & *Bonifacium*, quæ sunt XCIII, & CLXXXV. in Editione Parisina Benedictinorum.

403.

Haud multò post, Chrysostomus damnatus est à Theophilo Alexandrino, aliisque quibusdam Episcopis,

A. C.

copis, impulsu *Eudoxiæ* Augustæ, quam læserat; invectus in ludos, qui in honorem ejus celebrati fuerant, ad statuam ejus argenteam, quæ haud procul ab Ecclesia collocata erat. Sequente anno in exsilium ivit, primum in Ciliciam, inde in Armeniam, & intra annum exsilii quartum obiit Comanis ad Pontum Euxinum.

408.

Haud multò pòst obiit ipse, qui in exsilium eum miserat, Arcadius, relinquens *Theodosium* filium infantem; quem commendavit tutelæ *Isdegerdis* Persarum Regis, qui summâ fide exemplôque prorsus singulari, demandato sibi officio functus est.

Stilicho, cùm *Eucherium* filium Cæsarem facere niteretur, interfectus est; quâ re auditâ, Alaricus fœdus cum Honorio ferire voluit; sed repudiatis ab Honorio conditionibus, ad Romam exercitu bis admoto, Urbem tandem cepit; dum in Galliis occisus est nescio quis *Constantinus*, qui Imperium invaserat. Alaricus, Româ captâ & direptâ, egressus secum abduxit *Placidiam*, Honorii sororem, eamque uxorem Ataulpho propinquo collocavit, qui ei mortuo paullò pòst successit.

413.

Circa hæc tempora, *Cœlestius*, *Pelagii* Scoti aut Angli discipulus, damnatus est à Carthaginiensi Synodo. Pelagii sententia fuit, homines omnes satis supérque virium habere à Deo, ut officio suo liberè fungantur; nec opus esse aliâ inusitatâ gratiâ, ut id præstare possint, præter eam quàm Providentia Dei omnibus præbet; nec infantes capaces esse vitii aut virtutis, quæ tum demum se exserunt, cùm ad ætatem adultam pervenerunt. Alii qui liber-

tatem

A. C.

tatem negabant & pleroſque mortalium æternâ neceſſitate, quam Prædeſtinationem vocantur, orco addictos credebant, eis acriter reſtiterunt; & ſub gratiæ divinæ nomine, quam aiebant à Pelagio oppugnari, ſuam inter Chriſtianos ſententiam, quæ antea vix audita fuerat, conſecrarunt. Quæ *Pelagii* ſententia fuerit, pluribus docebit *Dionyſ. Petavius*, in libro ſingulari, quem ea de re ſcripſit. *T. III. Dogm. Theol.*

Eodem tempore *Attalus* & *Heraclianus* Tyrannidem arreptam in Italia & Africa brevi amiſerunt. Interea in Hiſpaniis & Galliis Gotthi, contra Alanos & Vandalos, bellum gerebant, duce *Valliâ*, qui Ataulpho ſucceſſit, & Placidiam Honorio reſtituit, quam duxit *Conſtantius* Comes.

415.

Hoc anno prima Synodus contra Pelagium Dioſpoli in Palæſtina habita eſt, ubi dicitur errores ſuos retractaſſe & abſolutus fuiſſe. Ad hujus imitationem, alia Synodus in Africa errores Pelagianos damnavit, & ad *Innocentium* Epiſcopum Romanum litteras dedit, ut eoſdem damnaret & ipſe. Idem factum eſt, eodem anno, à Milevitana Numidiæ Synodo. Attamen poſt Innocentii mortem, Cœleſtius Pelagii diſcipulus Romam veniens *Zoſimo* Pontifici ſeſe purgavit; qui ad Africanos ſcripſit, ut ſi quem ſcirent accuſare velle Cœleſtium, Romam mitterent, ſimulque graviter invectus eſt in *Lazarum* & *Herotem* Epiſcopos Gallicanos, qui Cœleſtium & Pelagium temere accuſarant. Similes literas, in gratiam Pelagii, haud multò pòſt dedit; quas callidâ diſſimulatione impetratas aiunt Pelagii adverſarii, ſed non eſt, cur illis potiùs, quàm Pelagio credamus; cùm omnibus artibus conati

ſint

A. C.

sint ejus doctrinam infamare, & reſcriptum etiam Honorii contra eum obtinuerint. Vide *Ger. Joan. Voſſium*, & *Henr. Noriſium*, in Hiſt. *Pelagiana*. Adde & *Joan. Garnerium* ad 1 Part. *Marii Mercatoris*.

Inde interea natæ ſunt lites de appellationibus tranſmarinis, cùm Zoſimus, contrà Africæ Epiſcopis nitentibus, contenderet, appellationes ad Sedem Romanam eſſe licitas. Adduxit Canonem neſcio quem Concilii Nicæni, ut aiebat, quo liquebat, Canonicas eſſe eas appellationes; ſed fictum eſſe Canonem compererunt Patres Africani, miſſis in Orientem, qui illius Concilii Canones afferrent. Hinc ortum Schiſma inter Romanam & Africanas Eccleſias.

420.

Dum in Oriente Romani adversùs Perſas bellum gererent, & in ignavia Honorius Occidentalis Imperii Rector conſeneſceret; ortum dicitur Francorum Regnum, auctore *Pharamundo*.

424.

Paucis pòſt annis, pulſa ab Honorio Placidia cum filiis Valentiniano & Honorio, in Orientem ad Theodoſium profuga, creata eſt Auguſta, filiuſque Valentinianus Cæſar. Hic, mortuo Honorio, miſſus eſt in Italiam, ut *Joannem* Notariorum Primicerium, qui Imperium demortui invaſerat, expelleret; quod feliciſſimè præſtitit, Bonifaciumque Comitem, qui in Africa Imperium rapuerat, paullò pòſt oppreſſit, operâ *Aëtii* Comitis, viri fortiſſimi, cui multùm debuit.

Neſtorius,

428.

Neſtorius, Conſtantinopolitanus Epiſcopus, dicitur tunc temporis ſparſiſſe doctrinam ſuam; quâ contendebat, ut aiunt, in Chriſto duas eſſe perſonas. *Cyrillus* Alexandrinus acerrimè in eum inſurrexit, licet admodum veriſimile ſit, totam diſceptationem meram fuiſſe λογομαχίαν. Imò ſi *Cyrilli* verba æquè rigidè urgerentur, ac *Neſtorii*; videretur Epiſcopus Alexandrinus Conſtantinopolitano ἑτεροδοξώτερος. Attamen Synodus Epheſum convocata, quæ tertia Oecumenica dicitur; & quæ cc Epiſcopis conſtitit, Neſtorium damnavit. At *Joannes* Antiochenus cum ſuis adveniens, die v. à Neſtorii damnatione, Cyrillum viciſſim damnavit, & Concilii acta abrogavit; unde natum inter Orientales Eccleſias Schiſma, quod vix potuit reſarciri. Tota controverſia nata erat ex ambiguitate vocum, πρόσωπον & φύσις; cùm alii eas confunderent, dicerentque, eſſe in Chriſto δύο πρόσωπα ἢ δύο φύσεις; alii verò, qui diſtinguebant, contenderent *duas quidem naturas, ſed unam perſonam*; præterquàm quòd & erant, qui dicerent, *unam naturam & unam perſonam* fuiſſe; unde poſtea enatum *Eutychianorum* dogma, de quo poſtmodum agemus. Tandem cum Cyrilli partes, initio inferiores, apud Imperatorem Theodoſium prævaluiſſent, damnati ſunt libri Neſtorii; in quorum defenſionem ediderunt Neſtoriani *Diodori Tarſenſis* & *Theodori Mopſueſteni*, qui duas Naturas defenderant, libros; qui aliis damnati, aliis approbati ſunt, cùm ſe invicem non ſatis intelligerent. Vide *Joan. Garnerium* ad II. Partem *Marii Mercatoris*.

Tunc editus eſt *Codex Theodoſianus*, anno poſtquàm *Vincentius* Lirinenſis opuſculum, quod *Commonitorium* inſcripſit, edidiſſet.

Hiſce temporibus, Gotthi, Hunni, & Vandali variè Rempub. Romanam conturbarunt; licèt

Romani

A. C.

Romani duces modò horum, modò illorum amicitiâ, ad reliquos opprimendos, callidè uterentur.

437.

Valentinianus II. *Eudoxiam*, Theodosii filiam, quam dudum desponderat, uxorem duxit. Mater hujus Eudoxia, voti solvendi causâ, Jerosolimam ivit, anno sequente, ubi per annum vixit; tunc enim loca sancta in maxima veneratione erant. Peregrinationes multæ eò suscipiebantur. Plurimæ quoque incipiebant innotescere piorum olim mortuorum reliquiæ, ad quas ingentia miracula fieri dicebantur; quibus rebus factum, ut invocari cœperint Sancti Martyres, aliique, quorum precibus, quæ petebantur à Deo, facilius impetratum iri putabantur. Ab hisce temporibus Decimus Tertius Liber *Dion. Petavii* de Doctr. Temp. monachales nænias habet plurimas, cùm vix omittat occasionem loquendi *de Reliquiis*, quæ tunc populis venditabantur.

439.

Carthago, à Vandalis capta est, postquàm per sexcentos fermè annos Romanorum fuerat. Victores sæviisse in Christianos ac præsertim Sacerdotes dicuntur, jubente *Geiserico* Rege.

Dicuntur in Italia plurimi retecti, hoc tempore, Manichæi, quos *Leo* Episcopus Romanus acriter insectatus est.

Bleda & *Attila*, Hunnorum Reges, Illyricum, Thraciamque depopulati sunt, & præterea ingentes pecuniæ summas à Theodosio extorserunt. Verùm Attila, cæso fratre Bledâ, solus rerum potitur; nec multò post, per totam ferè Europam, grassatur.

Hoc

A. C.

448.

Hoc anno *Eutyches*, in Conſtantinopolitana Synodo, dicitur Hæreſeos convictus; quòd Naturas Chriſti confunderet, quas ſejungebat nimiùm Neſtorius. Sed ſequente anno habita eſt Epheſi Synodus, in qua *Dioſcorus* Alexandrinus Epiſcopus eum communioni reſtituit, unde ortæ ingentes rixæ.

450.

Theodoſius Eudoxiam uxorem, ſororemque Pulcheriam, quarum prudentibus conſiliis feliciter uſus diu fuerat, Palatio expulſas, agnito errore, revocavit; nec multò poſt obiit, poſtquàm *Marcianum* ſucceſſorem deſignaſſet; qui ſumtis, cum Uxore Pulcheria, Imperii habenis, Concilium Chalcedonenſe, quod Oecumenicum Quartum vocant, convocavit, ubi damnati *Eutyches* & *Dioſcorus*.

Ab hiſce temporibus videtur factum, ut Abyſſini aliique in Ægypto Dioſcori ſententiâ imbuti, alios averſati ſint: ſicuti Babylone plures erant, qui Neſtorii dogma ſequebantur, quorum ſuperſunt hodiéque in Africa & Aſia reliquiæ.

Attila tunc temporis, aliquot prœliis ab Aëtio victus licet, Gallias & Italiam longè lateque vaſtavit; quo ſæculo aiunt *Venetiarum* Urbem initium cepiſſe, cùm in inſulas, in quibus ſita eſt, plures præ Attilæ metu profugiſſent.

453.

Anno ſequente obiit, poſtquàm ex Italia abiſſet.

454.

Haud multo poſt Valentinianus, poſt interfectum Aëtium, ipſe à *Maximo* Senatore, cujus conſilio uſus fuerat, eſt obtruncatus. At Eudoxia Valentinian

A. C.

lentiniani uxor Geiſericum ex Africa vocavit, qui Româ potitus inde multas opes in Africam tranſtulit, & Eudoxiæ filiam cognominem *Hunerico* filio collocavit.

455.

Interea *Avitus* in Italia Imperium uſurpavit, dum regnaret apud Francos *Meroveus*, à Pharamundo tertius, qui primam prolem Regum Galliæ nomine ſuo *Merovingiam* inſignivit.

Theodoricus, Gothorum Rex, Suevos, qui partem Hiſpaniarum tenebant, imperio ſuo ſubdidit, capto *Rechiario* eorum Rege; quod aggreſſus eſt hortatu *Aviti*.

At hic, anno ſequente, deſertus à Gallis & Gothis, Imperium & vitam reliquit. Eodem tempore mortuus eſt *Marcianus* Imp. in Oriente, cui *Leo* ſucceſſit; cujus voluntate, etiam *Majorianus* Ravennæ Imp. factus eſt. Hic, poſt quartum Imperii annum, à *Ricimere* interfectus eſt, & ſucceſſorem habuit *Severum*.

Illis temporibus dicuntur Monachi in Ægypto Eutychiani, duce *Timotheo* Æluro, turbas excitaſſe, huncque tandem in Epiſcopalem thronum Alexandriæ ſuſtuliſſe, interfecto *Proterio*; at mox Ælurus in exſilium à Leone Imp. eſt miſſus.

463.

Antiochiæ alius turbo *Petrus Fullo* ſedem invaſit, pulſo *Martyrio*. Dicitur hic Petrus fuiſſe in ſententia *Theopaſchitarum*; qui non hominem modò, ſed Deum paſſum dicebant; & addidiſſe *Triſagio*, *qui mortuus es pro nobis*, hoc modò: *Sancte fortis*, *Sancte Deus*, *Sancte immortalis*, qui paſſus es pro

A. C.

pro nobis, *miſerere nobis*. Verùm mox in exſilium à Leone actus eſt.

465.

Hoc anno *Severus* Ricimeris Patricii dolo veneno ſublatus obiit, fuitque in Occidente poſt ejus mortem annuum interregnum; ſub quo Theodoricus Rex Gotthorum obiit, relicto filio *Evarico*. Poſtea Leo Imper. *Anthemium* Patricium Romam miſit, & Auguſtum creavit.

467.

Interea Genſericus, qui littora Græciæ validâ claſſe depopulatus fuerat, victus à ducibus Leonis, pacem petiit, & intra Africam ſe continuit; ſed mox novas excitavit turbas, quæ ægrè compreſſæ ſunt, propter proditionem *Baſiliſci*, quem contra eum Leo miſerat.

472.

Anthemius à Ricimere genero ſuo occiſus eſt, locoque ejus *Olybrius* ſubſtitutus, qui eodem anno obiit. Huic ſucceſſit *Glycerius*, Glycerio *Majorinus*, Majorino *Nepos*, intra biennii ſpatium; aliis etiam temerè in Occidente Imperium arripientibus, quod tueri non poterant. Tandem ultimus Occidentem tenuit *Auguſtulus*, Oreſtis filius.

474.

In Oriente Leo reliquit filium cognomine *Leonem* II. qui ſibi *Zenonem* adſcivit Imperii participem, & haud multò pòſt morte ſuâ Baſiliſco occaſionem dedit invadendi Imperii, expulſo *Zenone*; verùm hic brevi recuperavit ſtationem ſuam, & Baſiliſcum in exſilium miſit, ubi obiit.

A. C.
476.

Interea *Ostrogotthi* Illyricum & Italiam, *Saraceni Arabes* Mesopotamiam vastabant, aut pecuniâ mulctabant. *Heruli* etiam à Nepotis, cui Augustulus successerat, fautoribus acciti, hunc solio deturbarunt, & tandem OCCIDENTALI IMPERIO FINEM imposuerunt. Summa rerum potitus est Rex eorum *Odoacer*.

482.

Acacius, quem in Constantinopolitanam sedem evexerat Zeno, ei auctor fuit scribendæ Epistolæ ad Clerum & Monachos Ægypti; in qua eorum, qui Dioscori sententiam sequebantur, dogma in concordiam redigebat cum Chalcedonensis Synodi decretis; quæ qui sequebantur, dicti sunt ab aliis *Melchitæ*, quod τῦ מלך *melech*, βασιλέως, sententiam amplexati essent; linguâ enim Arabicâ inter Arabægyptios usitatâ sic dicitur *Rex*, quemadmodum apud Hebræos. Huic Epistolæ, quæ habetur apud *Evagrium* Histor. Eccles. Lib. III. Cap. XIV. subscribi voluit ab Ægyptiis Zeno, qua in re non obsequuti sunt. Dicta autem est ΕΝΟΤΙΚΟΝ, quòd scripta esset ad pacem inter dissentientes revocandam. In ea probantur Synodi Nicæna, Constantinopolitana, & Ephesina; sed omittitur Chalcedonensis, & subjicitur hoc symbolum: *Confitemur Unigenitum Dei filium & Deum, verè hominem factum, Dominum nostrum Jesum Christum,* * *consubstantialem Patri, secundùm Deitatem, eundemque nobis consubstantialem, quoad humanitatem*: ΟΜΟΟΥΣΙΟΝ ΤΩ ΠΑΤΡΙ ΚΑΤΑ ΤΗΝ ΘΕΟΤΗΤΑ, καὶ ΟΜΟΟΥΣΙΟΝ ΗΜΙΝ

* Verba hæc ex Chalcedonensi Symbolo petita sunt. *Vid. Evagr. Lib.* ii. c. 4.

A. C.

ΗΜΙΝ ΤΟΝ ΑΥΤΟΝ ΚΑΤΑ ΤΗΝ ΑΝΘΡΩΠΟΤΗΤΑ: *Qui descendit ac incarnatus est ex Spiritu Sancto, de Maria Virgine ac Dei Genitrice, unum esse, non duos,* ΕΝΑ ΥΙΟΝ ΧΑΝΕΙΝ, ΟΥΔΥΟ, *unius enim dicimus cùm miracula, tum perpessiones, quas sponte suâ in carne sustinuit. Eos verò qui dividunt, aut confundunt, aut phantasiam introducunt, nullatenus suscipimus. Siquidem vera illa & peccati expers incarnatio, ex Dei genitrice, accessionem alterius Filii non effecit. Trinitas enim semper mansit Trinitas, etiamsi unus ex Trinitate, Deus, scilicet, Verbum incarnatus sit.* Qui hoc edictum sequuti, quòd nec Eutychianos, nec alios damnarent, nec factionum ulla sequerentur capita, Διακρινόμενοι, *dubitantes*, & ἀκέφαλοι, *sine capite*, dicti sunt, licèt alii aliam nominis originem afferant.

484.

Zeno, præter turbas Ecclesiasticas, *Illum* & *Leontium* rebellantes compescendos habuit. Tunc temporis novæ exortæ sunt rixæ inter Episcopos; inde natæ, quòd, cùm quidam imagines Sanctorum dudum cœpissent in Ecclesias inferre, aliis hoc visum est ad superstitionem vergere. Hi itaque eas ex suis Ecclesiis eliminarunt, & scriptis ac voce oppugnarunt; præeunte ceteris *Philoxeno*, Episcopo Hierapolitano.

490.

Hoc anno *Theodoricus*, Odoacro Herulorum Rege devicto, Italiâ potitus est. Hic alius fuit ab eo, de quo supra diximus, sub Marciano & Leone Impp.

Anno sequente obiit Zeno; cui successit *Anastasius*, favore Ariadnæ defuncti uxoris; quæ hunc vivo Viro adamayerat; excluso *Longino*, Zenonis fratre, alio.

A. C.

fratre, qui in Isauriam ab Anastasio missus in eum rebellavit, & vix post septennale bellum oppressus est.

492.

Anastasius Imper. favebat *Hæsitantibus*, seu *Acephalis*, & liberum unicuique fecit, quod vellet amplecti; eosque Ecclesiis expulit, qui turbas propter Chalcedonensem Synodum, seu damnarent, seu approbarent, excitabant. Verùm pacis studiosissimus Imp. Episcopos, Religionis Christianæ parum peritos, divisionumque adeò acerrimos fautores, ad concordiam adducere non potuit. Anathematibus semper inter se sæviebant, & invicem communicare detrectabant; quam in rem lectu dignissimum est *Evagrii* Lib. III. Cap. 30.

Hoc tempore interfectus est Odoacer à Theodorico, qui totâ potitus Italiâ eum frustra per triennium Ravennæ obsederat.

495.

Gotthi quidem plures Christianam hoc ævo Religionem profitebantur, sed quasi hæretici Homoousianis odio erant, quòd Arii sequerentur sententiam. Francorum verò Reges hactenus fuerant Ethnici, at *Clodoveus* hoc anno Christianismum amplexus est. Tunc etiam florebant res Burgundionum, mox ad Francos transituræ.

501.

Hoc anno ingentes fuere rixæ, in Synodo Romana concitatæ, cùm quæreretur: *Symmachusne*, an *Laurentius* deberet esse Episcopus? quæ sine sanguine dirimi non potuerunt, licèt adessent Comites à Theodorico missi, qui comprimerent seditiosos.

Tan-

A. C.

Tandem Symmachus ſuperior fuit, ac proinde legitimus, etenim hîc ſemper *exitus acta probat*, ut jam antea diximus.

510.

Anaſtaſius vix contra Perſas & Saracenos Imperium tutabatur, & domeſticis etiam ſeditionibus, cùm Sacerdotum, tum Laicorum exercebatur. In theatricis ludis aliquoties cædes fuerunt, propter ſtudia factionum; & perpetuæ erant rixæ inter Epiſcopos, de Chalcedonenſi Synodo, & Henotico. Quidam Hiſtorici prodiderunt, cum Triſagio addi voluiſſet: *Qui crucifixus es pro nobis*; pænè oppreſſum fuiſſe à Catholicis Monachis; qui dum nihil niſi cædem Imperatoris omniumque Διαχειρομένων ſpirarent, clamitabant, quaſi ſibi vis inferretur, tempus adeſſe patiendi martyrii. Vid. *Evagrii* Lib. III. cap. 44. & *Theodori* Lect. Lib. II. pag. 562. Edit. *Valeſianæ*. At vix credibile eſt Anaſtaſium Διαχειρόμενον, & pacis amantem, qualem cum deſcripſimus ex *Evagrio*, vi quidquam facere conatum; ſed cùm *Macedonio* Conſtantinopolitano non obſequeretur, in perdendis ejus adverſariis, ſine dubio, quod hi fecerunt, Imper. tributum eſt, uti ſolet fieri à Zelotis.

Aiunt iidem Hiſtorici *Severum* Theopaſchitam invaſiſſe Antiochenam ſedem, & cum Anaſtaſius antea ſacramento illum adſtrinxiſſet, ne Chalcedonenſem Synodum Anathemate feriret, eum ſimul atque in Epiſcopali throno conſedit, neglecto jurejurando, Anathema Concilio dixiſſe; unde liquet Anaſtaſium medium inter partes ſe gerentem, utrimque vapulaſſe, ut fit in civilibus contentionibus; cum ſeditioſi eos eſſe putent contra ſe, qui non militant in ipſorum caſtris.

Hinc

A. C.

514.

Hinc nata est rebello *Vitaliani* Scythæ Comitis, qui pro Homoousianis arma sumsit adversùs Anastasium; quo prætextu, ingentes pecuniæ summas ab Anastasio extorsit, donec pax iniretur; eâ lege, ut Synodus cogeretur, cui interesset *Hormisdas*, Episcopus Romanus, Eutychianis & Hæsitantibus æquè infensus. Aiunt hanc jurejurando promissam ab Imperatore, qui postea fidem fefellerit, sine dubio quòd nollet novas definitiones fieri; quibus nihil quærebatur, nisi ut opprimerentur aliquot Episcopi. Volebant enim congregari solos, aut saltem plures Orthodoxos; qui eos, quos Hæreticos appellabant, immisericorditer damnarent.

518.

Hoc anno obiit Anastasius octogenario major, raræ moderationis Imperator; sed conviciis utrimque, ab Eutychianis, eorúmque adversariis laceratus, quòd neutri parti fræna laxare voluerit. Huic successit *Justinus* genere Thrax, qui Eutychianorum adversariis duntaxat favit, nec ampliùs æquato examine libram sustinuit, uti fecerat Anastasius. Hormisdas ad eum Legatos misit, qui sentientibus cùm ipso adeò animos addiderunt, ut contrarias partes vi & decretis omnino opprimerent.

525.

Hoc tempore plurimi dicuntur in Perside fuisse Manichæi, adeò ut *Cabadis* filium, Regni heredem, suâ Hæresi infecerint; quo factum, ut Cabades eos dolo congregatos, immissis satellitibus, internecione deleverit. Plurimos etiam occidit Justinus, & edicto ad mortem damnavit, pro more eorum temporum. Idem Arianos gravissimè vexavit, quod cùm audivisset Theodoricus Gotthorum Rex, misit

A. C.

misit *Joannem* Romanum Episcopum Constantinopolin; qui Justino diceret, ni à vexandis desineret Arianis, Theodoricum eâdem ratione in Homoousianos acturum in Italia.

Florebant hoc ævo *Priscianus* Grammaticus & *Boëthius* Vir Consularis, itidem eruditissimus. Hunc Theodoricus, unà cum *Symmacho* socero, falsò ad se delatos, capitali supplicio interemit. Joannem etiam Episcopum in carcerem conjecit, unà cum Legatis, quos cum eo Constantinopolin miserat; quòd clam visi fuissent Arianorum persequutionem fovere, & Joannes etiam in Italia palam eos, quoad poterat, reversus vexaret.

527.

Justinus Imperator, postquàm per novennium fermè regnasset, *Justinianum*, sororis suæ filium, Imperii participem fecit, nec multò pòst mortuus est. Hic Imperium suum inchoavit, vexatione Hæreticorum; quorum opiniones proscripsit, edictis, quæ adhuc in ejus Codice supersunt; & bello in Persas, quod per Legatos satis infeliciter propter eorum discordiam, gessit.

Herulorum & Hunnorum Reges tunc Religionem amplexi sunt Christianam, quod haud multò antea fecerat etiam *Tzathus* Lazorum Rex, in cujus gratiam bellum Persis intulit Justinianus.

Interea ingentia erant in familia Regum Francorum dissidia, quæ distinctiùs suppeditabit *Petavius*. Idem etiam docebit, Synodos plures tunc in Gallia habitas; contra Semipelagianos, Arausione; & pro Semipelagianis, Arelate; utrisque suam sententiam, quasi omnium dogma Christianorum, jactantibus.

Justinianus eodem tempore & Novellas, & Codicem suum edidit, dum *Belizarius*, ejus Legatus in Persas bellum gereret, eosque vinceret; unde factum,

Prince Arthur of Britain, if ever lived about this time. The Universities were not founded.

A. C.

factum, ut *Narſes* & *Aratius*, Principes Perſæ, in Romanorum partes tranſirent. At iidem Perſæ, impulſu *Alamanduri* Saracenorum Phylarchi, inſtaurato bello, cruento prælio Beliſarium vicerunt.

Hoc anno ingens concitata eſt ſeditio Conſtantinopoli, à Praſina & Veneta factionibus, cui Monachi & plebs ſeſe immiſcentes magnam cædem fecerunt; & tantum timorem timido injecerunt Juſtiniano, ut Urbe excedere vellet, & vix uxoris *Theodoræ* hortatu remanſerit. Duo præcipuè à plebe eâ ſeditione petebantur, *Joannes Cappadox* Prætorio Præfectus, & *Tribonianus* Juriſconſultus Quæſtor: in ea re maximè diverſi, quod hic eruditiſſimus, ille litterarum rudis eſſet; verùm ſimiles in eo, quod uterque ſupra modum avaritiæ eſſet deditus. Tribonianus edidit Codicem Juſtinianeum, Inſtitutiones, ac pleraſque leges, quæ Imperatoris illius nomen præferunt. Seditio tandem, operâ Narſetis & Beliſarii, compreſſa eſt.

Sub Imperio Juſtini coorta fuerat Alexandriæ quæſtio inter Theologos mira: an nempe corpus Chriſti corruptibile ante reſurrectionem, an verò incorruptibile fuerit? Qui incorruptible corpus Chriſti putabant, negabant eum quidquam eſſe paſſum, ſed tantum φαντασικῶς cruci affixum fuiſſe contendebant, quæ etiamnum eſt ſententia Mohammedanorum. Ex iis, qui corpus Chriſti noſtris ſimile omnino fuiſſe contendebant, quòd Apoſtolus ad Hebræos diceret, Chriſtum in omnibus nobis ſimilem factum, excepto peccato, factæ ſunt duæ factiones: Alii, inter quos *Timotheus* Alexandrinus, negabant hinc ſequi, Chriſto aliquid fuiſſe ignotum; cùm *Themiſtius* ejus Diaconus quædam ab eo ignorata veriſſimè contenderet. Attamen hi, quaſi

Hæretici

A. C.

Hæretici notati, *Agnoëtæ* dicti ſunt; unde, ſub Juſtiniano, magnæ natæ ſunt turbæ.

533.

Hic Imperator Vandalos aggreſſus ex Africa, quàm à ſæculo ferè obtinebant, expellere rem per Beliſarium feliciſſimè perfecit, intra biennium; dum ipſe, præter memoratas Legum collectiones, *Digeſta*, quæ ſunt veluti omnium Juriſconſultorum Veterum corpus, edit. Inde victor Beliſarii exercitus in Italiam traducitur, in qua *Theodahatus* Gotthorum Rex ſæpiùs vincitur; quibus infortuniis commoti Gotthi Theodahato interfecto ſubſtituunt *Vitigem*, qui acriùs Romanis reſtitit, & per annos quidem quatuor regnavit.

539.

Poſtremò coactus fuit ſe Beliſario dedere, qui eum Conſtantinopolin abduxit in Triumphum. Attamen paullò pòſt, abſente Beliſario, Gotthorum res in Italia aliquatenus reſtitutæ ſunt, primùm è *Theudibaldo*, deinde à *Totila*, dum duces Romani ſeſe ignaviæ tradebant.

545.

Cum doctrina Origenis, de animorum προϋπάρξει, & de fine pœnarum, à quibuſdam defenderetur, in Palæſtina Origenes iterum damnatus eſt. *Theodorus*, Cæſarienſis Epiſcopus, opinionum illarum fautor, oſtendit, ſi liceret dogma, poſt Auctorum mortem, damnare, *Theodori* Mopſueſteni, *Theodorici* Cyrenſis, & *Ibæ* Edeſſeni Epiſcoporum dogmata damnanda eſſe; quòd ſcripſiſſent contraria Synodo Chalcedonenſi, licèt ab ea damnati non fuerint. Inde confecta ſunt *tria illa Capitula*, quæ magnas in Oriente excitarunt turbas; dum tres illos viros

A. C.

viros alii damnant, alii damnare detrectant. *Vigilius* ipse Episcopus Romanus, post aliquam cunctationem, eos damnavit, & Eutychianismi suspectum se reddidit; licèt postea, ad Concilium usque, silendum ea de re duxerit. Vide *Henr. Norisii* Dissert. Hist. de V. Synodo.

553.

Italia interea diu inter Romanos & Gotthos discerpta fuit, donec Narses Totilam, post regnum annorum ferè undecim, devicit & occidit. Eodem anno habita est Quinta Synodus Oecumenica, in qua tres memorati Scriptores damnati sunt, reclamante Vigilio Romano; quod Constantinopoli, quò convenerant Synodi Patres, nulli affuissent Occidentales Episcopi. Sed tandem à Synodo Romæ habita confirmata est, licèt scripta damnasset, quæ in Chalcedonensi Synodo approbata fuerant. Interea Franci, videntes Gotthorum res profligatas in Italia, invaserunt, quæ in Galliis ab illis possessa fuerant, & Italiæ etiam imminere cœperunt, quam variis excursionibus, unà cum *Alamannis*, devastarunt; invito, qui ei præfectus erat, Narsete.

561.

Cum Conjurati quidam in Justinianum capti fuissent, & Belisarium nominassent quasi conscium, captus est cum tota familia; sed anno sequente absolutus, cùm senio jam confectus esset. Quidam Scriptores, Romanæ Sedi nimiùm addicti, finxerunt, eum cœcum factum fuisse, & ad mendicitatem redactum, quòd eum Pontificibus Romanis pro imperio egisset. Sed nihil tale habent Græci Scriptores, *Procopius* & *Agathias*, qui horum temporum, quibus vixerunt, historiam scripsere. Obiit anno, post memoratam accusationem, secundo.

Dicitur

A. C.
563.

Dicitur Juſtinianus Imperator, qui tot Edictis Hæreticos vexaverat, in eorum opinionem delapſus, qui carnem Chriſti incorruptibilem & impaſſibilem credebant, & contrà ſentientes perſequi cœpiſſe; quâ quidem in re novum priſtinæ ſævitiæ ſcelus non addidit, ſed eam in alios convertit. Biennio pòſt, obiit relictis optimis Legibus Orbi Romano, ſed parum aptus bellicæ rei; quippe timidus, ac præterea ſuſpicax, & avarus, ſi *Procopii Anecdotæ Hiſtoriæ* credimus.

Sub finem ejus Imperii, *Ethelbertus*, Cantuarienſium Rex, amplexus eſt Chriſtianam Religionem, inſtitutus ab *Auguſtino* Monacho Româ miſſo. Dicitur *Columbanus* Presbyter ex Hybernia ad *Pictones*, eodem tempore, iviſſe, & eos quoque ad fidem convertiſſe. Ab hoc tempore, floruit in ea inſula Chriſtiana Religio, quæ antea videtur in ea latuiſſe; cùm fuiſſet eò delata, à temporibus uſque Tiberii, ſi *Gildæ*, horum temporum Anglo Scriptori, credimus; qua de re *Jac. Uſſerii* & *Ed. Stillingfleeti Origines Britannicas vide.*

The Irish Monasteries were now brought out of Order by Missionaries.

565.

Juſtiniano ſucceſſit *Juſtinus* II. Curopalata, ſororis Juſtiniani filius, qui cùm domo vix egrederetur, propter vertiginem, quâ laborabat, querelas plebis de proceribus audire non poterat, quæ tamen ingentes erant; ſed eis prudentiâ & ſeveritate Præfecti Prætorio ſatisfactum eſt.

Initio ejus Imperii, revocatus eſt ex Italia Narſes: ejuſque loco ſubſtitutus *Longinus*, qui primus Ravennæ Exarchus fuit. Eo tempore, *Alboinus*, Longobardorum Rex, ſedibus ſuis in Germania relictis, partem Italiæ invaſit, ubi Longobardorum regnum condidit.

Ethelbert the first King of Kent of the Saxons in Britain received now.

Poſt

A. C.

578.

Post pauca digna memoratu gesta, obiit Justinus, successoremque reliquit *Tiberium Anicium Constantinum.*

Dicitur hoc tempore *Leovigildus*, Gotthorum in Hispania Rex, vetuisse, ne qui ex Homoousianorum castris ad Arianos transibant, rebaptizarentur ab Arianis, ut factum antehac fuerat; sed tantùm impositione manuum adhibitâ, cum hac verborum formula, admitterentur: *Si det gloriam Patri, per Filium, in Spiritu Sancto*; quâ narrat etiam *Evagrius* usos in Oriente Arianos.

582.

Tiberius interea Persas, per Legatum *Mauritium*, vincit pluribus præliis; eumque propterea Cæsarem creat, quod exiguâ manu vicisset hostes. Paullò pòst, cùm in morbum incidisset, eum Augustum designavit, filiamque Constantinam eidem uxorem dedit.

Avares ei bellum moverunt, sed irrito successu, dum Galli cum Langobardis decertabant, & Saxones cum Suevis; qui eorum sedes in Germania occupaverant, dum in Italia Saxones cum Langobardis erant. Hi per decennium, post Alboini mortem, Rege caruerant; sed tandem *Antharitum* crearunt, qui Romanas res in Italia profligavit. *Reccaredus*, eodem tempore, ex Ariano fit Homoousianus in Hispania, ac propterea *Catholici* nomen adipiscitur.

Mauritius, per Legatos *Philippicum* & *Commentiolum*, Persas pluribus præliis atterit; quo tempore *Gregorius*, cui *Magno* cognomentum inditum est, Episcopus Romæ eligitur, dum vehementissima grassaretur pestis.

Paullò

A. C.

Paullò pòſt, ſcripſit Dialogos ſuos *Gregorius*. *Evagrius* teſtatur ſe ſuam, eodem ævo, ſcripſiſſe Hiſtoriam.

Cùm Avares & Sclavi Pannoniam vicinaſque regiones occupaſſent, bellum ferè perpetuum Mauritio cùm illis fuit. Itaque cùm in finibus Imperii ad eas provincias exercitum haberet, voluit eum in hoſtico potiùs hiberna habere; quâ re commotus exercitus rebellavit, & *Phocam* Centurionem Imperatorem creavit; qui, rapto confeſtim milite, contendit Conſtantinopolin, & paullò pòſt Mauritium, coram ipſo priùs trucidatis filiis, occidit: qua in Tragœdia conſtantiſſimum ſe præbuit Mauritius.

602.

Hic Phocas dicitur titulum *Patriarchæ Oecumenici* Romano Epiſcopo, & jus præcedendi ordine Epiſcopum Conſtantinopolitanum tribuiſſe; quod ſedente *Bonifacio*, poſt *Sabinianum* Gregorii III. ſucceſſorem, contigit.

606.

Crudeliſſimè Phocas, ut cœperat, regnare perrexit, & ad mortem omnes, vel minimùm ſuſpectos novarum rerum, damnavit; ne exceptis quidem generis. Hinc plurimi ſimul in illum conſpirant, & inter *Heraclium* quidem & *Gregoram* convenit, ut is Imperator eſſet, qui Phocam interfeciſſet; qua in re prior fuit Heraclius, qui ſtatim Imperialem Coronam cum Eudoxia uxore accepit. Huic, cùm militarem rem neglexiſſet Phocas, prima fuit cura exercitum conſcribere; quem Perſis omnia vaſtantibus, in Imperii finibus, opponeret. Paullò pòſt amittit uxorem, poſtquàm peperiſſet *Heraclium* filiolum, quem *Auguſtum* Pater creavit.

A. C.

Inde Martinam Neptem, concedente Sergio Patriarcha, uxorem ducit.

615.

Eo tempore peſſima in Gallia mulier *Brunechildis*, inter nepotes ſuos *Theodebértum* & *Theodoricum* diſſidia ſerit, Regiam familiam turbat, & tandem efficit, ut Theodebertus bis victus interficiatur à fratre; ipſa ejus liberos trucidari poſtmodum curat, Theodoricumque ipſum veneno tollit; cui ſucceſſit *Clotarius* Patruelis, univerſa Francorum Monarchia, quæ priùs inter fratres diviſa fuerat, potitus.

Cùm primi Heraclii conatus in exercitu conſcribendo lenti & debiles fuiſſent, quòd naturâ à bello alieniſſimus eſſet, Perſæ & Avares, contemptis de pace ab eo oblatis conditionibus, utrimque eum premebant. Itaque ſeriò cœpit copias conducere, quibus, factâ cum Avaribus pace, Perſas ſaltem comprimeret; quam in rem, ſacros Eccleſiarum theſauros, vaſaque aurea & argentea mutua ſumere coactus eſt. Bellum itaque cœptum anno ejus duodecimo. Cùm initio dux Perſarum *Saës* ejus Legatos LXX, contra jus Gentium captos, ad *Coſroem* Regem miſiſſet; Coſroes iratus, quòd ipſum Heraclium non cepiſſet, Saëti juſſit vivo pellem detrahi, deditque ſucceſſorem *Sarbarum*.

622.

Hoc anno *Mohammed* in Arabia, ſeditionis accuſatus, ex urbe Meccha Medinam fugit, quæ propterea Arabibus dicitur מדינת־אל נביא *Medinath ol Nabi*, ditio Prophetæ. Ab hoc anno ſuam æram, quam *Hegiram*, hoc eſt, fugam vocant, Muhammedani ordiuntur. Mohammedes dicitur primùm Camelorum Paſtor fuiſſe, deinde

ex

A. C.

ex colloquiis cujuſdam Monachi *Sergii*, qui Manetis & Phantaſtarum ſententiam ſequebatur, addidiciſſe dogmata Prædeſtinationis; cujus ſunt acerrimi defenſores Mohammedani; & eorum, qui ipſum Chriſtum paſſum non eſſe putant, ſed phantaſma ejus loco ſubſtitutum, quod etiamnum credunt ejus ſectatores. Inde hominem callidum libido invaſit Sectæ, cujus Princeps eſſet, condendæ. Itaque cum factus fuiſſet Heræ ſuæ, cui in paſcendis Camelis operam navaverat, maritus, Prophetam agendi hanc occaſionem ſumpſit. Comitiali morbo cadebat, quod ſimulavit ſibi accidere, cùm Archangelus Michaël ipſi quidpiam revelaret. Figmentum confirmavit Sergius, & cùm innumeræ fuiſſent diſceptationes, eſſentque etiamnum inter Chriſtianos, de S. Trinitate; exiſtimarunt tutius eſſe unam divinam perſonam & naturam dicere, ut diſſidiis omnibus occaſio præcideretur, quàm ullum ex controverſis dogmatibus amplecti. Vinum etiam vetuit bibi, quaſi Dei inſtinctu, ſed reverâ quia id didicerat à Sergio Manichæo, etenim Manichæi à vino abſtinendum eſſe exiſtimabant. Prodiderunt nonnulli Sergium antea Judæum fuiſſe, ideoque quædam ex Judaiſmo retinuiſſe, quod non eſt vero abſimile; nam, præter memorata Muhammedanorum dogmata, hæc ſunt Judaiſmum redolentia. Non licet iis comedere ſanguinem, carnem porcinam, morticinium, εἰδωλόθυτον, ſuffocatum, ligno occiſum animal, projectitium, percuſſum cornu, aut morſum à fera. Licita eſt Polygamia, nec illicitum divortium. Circumciſio etiam more Judaico uſitata eſt, quam tamen utrum inſtituerit Mohammedes, an verò jam uſitatam inter Saracenos invenerit, dubium eſt. Hoc alioqui laudabile videri queat in Mohammedanis, quòd pro imperio totum humanum genus orco non addicant, ut appa-

A. C.

ret ex hiſce Mohammedis verbis, *Alcorani* Surat. II. *Muſulmannorum & eorum qui judaizant, & Chriſtianorum, & Zabæorum quiſquis crediderit Deum & diem extremum, & fecerit bonum, illi merces eorum apud Dominum illorum, non verò timor.* Ibidem vituperat Judæos & Chriſtianos, qui ſeſe invicem damnant. *Dixerunt*, inquit, *non ingredietur Paradiſum, niſi qui fuerit Judæus aut Chriſtianus. Dicit Judæus: non ſunt Chriſtiani quidquam; dicunt verò Chriſtiani: non ſunt Judæi quidquam, &c. ſed Deus judicabit inter eos die reſurrectionis, qua de re diſceptant.* Simulavit autem hunc librum paullatim, & per varia Capita, ſibi è cœlo ab Angelo Gabriele allatum. Scriptus eſt eleganti Arabiſmo, & ferè ὁμοιοτελεύτοις commatibus; adjectis accuratè ab ejus diſcipulis punctis vocalibus, quâ in re Eruditi quidam putant Judæos eorum imitatores fuiſſe, cùm Veteri Teſtamento puncta addiderunt.

631.

Saracenorum, gentis Arabicæ, magnam partem ad ſe traxit Mohammedes; & cùm fuiſſet in partibus Heraclii, agrum ab eo in Arabiæ felicis finibus incolendum accepit; ac nono, poſtquam Mecchâ fugerat, anno obiit, & Medinæ ſepultus à ſuis fuit; quò, Religionis causâ, eunt ſepulcrum ejus viſuri etiamnum Mohammedani. Ejus ſucceſſores deinde Ægyptum, Palæſtinam, atque Syriam paullatim invaſerunt.

626.

Jam, ut ad Heraclium redeamus, poſtquàm vidit omnes leges pacis ab hoſtibus repudiari, nec fidem ullam ſibi ſervari, animum collegit; atque ipſe, exercitu in Armeniam & Perſidem ducto, egregias

de

A. C.

de Persis retulit victorias. Attamen Persæ effecerunt muneribus, ut Avares, conjunctis secum copiis, Constantinopolin & Chalcedonem aggrederentur, dum alio exercitu alias ipsi Imperii Provincias invaderent. Plures omnibus hisce hostibus opposuit exercitus Heraclius, & *Turcas* advocavit; qui per Caspias Portas ex Scythia in Persarum ditionem irruperunt, eámque longè lateque devastarunt. Hisce primùm temporibus innotuit nomen Gentis illius, quæ postea Orientalis Imperii Provincias omnes occupavit. Horum ope, Heraclius Cosroëm ad incitas adegit; qui tandem cùm in morbum Seleuciæ incidisset, est a majore filio Siroë occisus, quòd minorem filium Regem creare conatus esset. Heraclius verò Constantinopoli triumphavit.

Anno sequente, cùm Imperator Edessæ esset, & colloqueretur cum *Athanasio* Syro, quem Antiochenum Patriarcham, admissâ Chalcedonensi Synodo, fecerat; quæsivit an una, vel duæ voluntates in Christo, Deo & homine, essent dicendæ? Unam respondit Athanasius, consentientibusque *Syro* Alexandrino & *Sergio* Constantinopolitano Episcopis, eam amplexus est sententiam Imperator; cujus fautores *Monothelitæ* postea dicti sunt, & quæ magnas excitavit in Oriente turbas.

632.

Saraceni, favore Heraclii potentiores facti, cùm viderent Persas ejus victoriis attritos, iis bellum intulerunt; eo successu, ut *Othman* Saracenus Imperium Persicum invaserit, *Jezdegirdo* Persarum Rege cæso; unde *Æra Jezdegirdica*, quâ utuntur Persæ.

Mohammedi verò, in Arabia, successit propinquus ejus *Abubecher*, qui *Chalipha* dictus est, hoc

A. C.

est, *Successor*, quod Mohammedis successoribus nomen κατ' ἐξοχὴν inditum. Huic biennio pòst successit *Omar*, qui, imperante Heraclio, Ægyptum, Palæstinam, ac Syriam invasit.

639.

Sergius, Patriarcha Constantinopolitanus, hoc anno Monotheletarum dogma in Synodo propterea coacta, curavit Catholicum pronuntiari, ejusque *expositionem* Ἔκθεσιν, nomine Imperatoris, edidit; quam misit in Italiam, ut ei subscriberent Episcopi Romani, alioquin ab Imperatore non confirmandi; quod tunc postulabatur, ut rata eorum electio haberetur. Noluit tamen subscribere *Severinus*, qui tunc temporis electus fuerat, haud multò post vitam cum morte commutaturus, ut & ipse Sergius.

641.

Heraclius, post triginta annorum regnum, hydrope obiit; cui successit illico *Constantinus* filius, post quatuor menses à *Martina* Noverca veneno sublatus, quæ ei *Heracleonem* filium substituit. At vix elapsis sex mensibus, ipsa cum filio à Constantinopolitano Senatu Imperio amota est; & filio quidem, ne unquam ad Imperium adspirare posset, nares sunt resectæ, Martinæ verò lingua. In solio collocatus est *Constans*, Constantini filius.

645.

Dum in Galliis regnarent, diviso Imperio, *Sigebertus* & *Ludovicus* fratres, *Dagoberti* filii; *Rotaritbus*, Rex Langobardorum, leges Gentis suæ, quæ hactenus memoriâ tantùm & usu conservatæ fuerant, in scripta retulit, libro omnes complexus, qui etiamnum exstat. Cum

A. C.

648.

Cum multi Episcopi Afri, aliique alienarentur à Constante, propter Monotheliſmum; Edicto, quod *Typum* appellavit, vetuit, ne quiſquam de Christi voluntate loqueretur, ut oppugnaret contrà ſentientes. At *Theodorus* Papa, cùm crederet ſic vetari ſermones de duabus Christi naturis; Typum, ut impium, damnavit. Conatus eſt anno ſequente Imperator, per *Olympium* Ravennæ Exarchum, cogere ad ſubſcriptionem Typi Italiæ Epiſcopos, ſed fruſtra fuit.

Interea Saraceni Cyprum & Siciliam, aliaſque invaſerant inſulas, & potentiores in dies fiebant; non ſatis eorum incrementis adverſante Conſtante Imp. qui pacem ab iis pecuniâ redimere coactus eſt.

653.

Narrat *Cedrenus Maviam* ducem Saracenorum, Rhodo occupatâ, inveniſſe fragmenta Coloſſi, qui ante annos DCCC LXXV corruerrat terræ motu, cùm per octingentos fermè annos ſtetiſſet. Erat altus LXXX cubitos, & ita divaricatis ſtabat cruribus, ut naves inter ea tranſire poſſent. Ait Cedrenus DCCCC Camelos fragmentis ejus oneratos; unde, cùm Camelorum onera ordinaria ſint DCCC librarum, ſequeretur pondus ejus fuiſſe pluſquàm ſepties centies millium librarum æris. At parum veriſimile videtur æs adeò vile fuiſſe, ut nullus Imperatorum Chriſtianorum id tollere, ad hæc uſque tempora, dignatus fuerit.

Sequente anno, claſſe victus eſt à Mavia Conſtans Imp. cùm ſomniaſſet nocte præcedente ſe eſſe Theſſalonicæ; quod conjectores ſomniorum interpretati ſunt, quaſi Deus ei dixiſſet: Δὸς ἄλλῳ νικὴν, *alii victoriam concede.*

Eodem

A. C.

Eodem anno, Arabum, qui Persarum Imperium occupaverant, Regi Othmani interfecto succesſit *Hali*, quem Muhammedi æquiparant Persæ.

663.

Saraceni inteſtinis bellis turbati tempus dedere Imp. Conſtanti in Italiam eundi, ubi initio quidem variis cladibus Langobardos affecit; ſed ab illis poſtea aliquoties victus in Orientem redire coactus eſt, quò cùm regrederetur, in balneo, dum Syracuſis eſſet, occiſus eſt.

668.

Electus eſt in ejus locum quidam *Mizizius* Armenus, qui mox à *Conſtantino* Conſtantis F. victus & interfectus eſt. Hic Conſtantinus, quod imberbis Conſtantinopoli profectus eſſet, rediiſſetque barbatus, dictus eſt *Pogonatus*.

Saraceni, ſub ejus Imperio, Africam invadere cœperunt, & in Siciliam iterum claſſe advecti, omnia latè populati ſunt.

672.

Idem in aliis Imperii Provinciis fecerunt, & ipſam Conſtantinopolin claſſe aggreſſi ſunt; ſed à Conſtantino fortiter ſunt repulſi, ut & à *Bamba* Hiſpaniæ, ad cujus littora appulerant, Rege.

678.

Bulgari, ſic dicti à *Volga* vel *Bulga* fluvio, ex Septentrionalibus littoribus Euxini Ponti in Thraciam uſque effuſi Romano Imperio graves eſſe cœpere; & ad tantam potentiam, ut tributum eis pendere cogeretur Imperator, pervenere.

681.

Poſt longas diſceptationes, tandem congregata eſt Conſtantinopoli in Synodus Sexta Oecumenica; in qua Monothelitæ, adnitentibus præſertim Occidentalibus Epiſcopis, damnati ſunt. Qua-

A. C.

685.

Quadriennio pòst, mortuus est Imperator Constantinus, successitque ei *Justinianus* II. filius; qui initio Imperii Saracenos ex Armenia expulit, tributumque pendere coëgit. Sed brevi postea pacis leges neglexerunt, remotis ex Libano monte præsidiis Cæsarianis, quæ ea loca insederant. Imperator iratus eis bellum denunciat, licèt jam tributum solito majus offerrent, & submissè pacem peterent. Vicit quidem eos imparatos, primo prælio; at corruptis, quos conduxerat, Sclavis, vicissim vincitur, Armeniamque amittit.

692.

Decennio post Sextam Synodum, alia à *Callinico* Patriarcha Constantinopolitano convocata est, in qua, nomine Sextæ, plures edidit Canones; atque inter alia permisit Clericis habere uxores, modò iis tempore administrationis mysteriorum abstinerent. Admissi sunt ab Orientalibus Ecclesiis hi Canones, sed rejecti ab Occidentalibus; atque ab hoc tempore ferè communione Constantinopolitana Ecclesia à Romana secreta fuit.

694.

Cum Justinianus II. multa crudeliter gessisset, & de trucidanda plebe Constantinopolitana, per milites suos, cogitaret; *Leontius* Patricius, quem in vinculis habebat, liberatis captivis, Imperium occupavit; eumque, naribus amputatis, exsulatum in Tauricam Chersonesum misit, ubi per decennium vixit. Leontius ab initio Imperii Saracenos, qui Africam invaserant, per Joannem fratrem, feliciter expulit; sed haud multò pòst, Joannes negligentiùs se gerens victus est; & cùm exercitus eum propterea ad pœnas posceret, *Abssimarum*, qui

&

A. C.

& *Tiberius* vocabatur, Imperatorem creavit. Hic improvisò Conſtantinopolin petens, eam occupat, Leontio capto nares reſecari jubet, eumque in Dalmatia Monaſterio includit.

698.

Barbara Francorum & vicinorum Regum nomina, bellaque inter eos fermè perpetua hactenus omiſimus, quòd non tanti ſit ea noſſe; ſed piaculum eſſet omittere *Pipinum* Majorem Domûs, in Regum Galliæ Palatio, circa hæc tempora, ex Alpaida Concubina ſuſcepiſſe *Carolum Martellum*, qui ei in eodem munere ſucceſſit. Reges Galliæ, hoc ſeculo ſe ſe ignaviæ prorſus dederunt, & curam rerum omnium Majoribus Domûs reliquerunt; quo factum eſt, ut *Inertes*, Gallicè *Faineants*, cognominati ſint, ac tandem in Pipini familiam Galliæ ſolium tranſlatum ſit.

703.

